



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Ira Libri Tres**

**De Meyer, Liévin**

**Antverpiae, 1694**


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68620](#)


Th  
5789

St. 5789.









DE IRA  
LIBRI TRES  
AUTHORE  
LIVINO DE MEYER  
E SOCIETATE IESU.

College

Universität



ANTVERPIÆ

Ex Typographia HENRICI THIEVLLIER, ad Fosam.  
Minorum, sub signo Gallinæ-albæ.

ANNO MDCLXXXIV.

Superiorum Permissu.  
Societatis jesu Paderb:

J 703.

ДЕЯНИЯ

СВЯТИХ

АУТОРЫ

ЛЮИНО ДЕ МЕЙЕР

В СОЦИЕТАТЕ ИСУ

АНТВЕРПЕН

Ex Librissim Henrici Thunavini ac Poloni

Monitione Jippus Gellius apud

anno MDCXXVIIA

Impensis Friderici

# PRÆFATIO AD LECTOREM.



Occe opusculo, amice Lector, de irâ mihi sermo est, humani generis hoste infestissimo. Quod quidem argumentum selegi eò lubentius, tum quod à nullo Poëtarum, quod sciam, tractatum sit hactenus, tum maximè quod præter concentum vocum ac syllabarum, quo auribus consulitur, utilitas quoque ad animos legentium derivetur. Quemadmodum enim nullum est animi vitium, quod Irâ vehementius sit, atque nocentius, nullum quo rationalis natura deformetur magis; ità quidquam utilius esse vix potest, quam malo tam præcipiti medelam afferre, & hoc animorum extinguere veluti commune incendium. Paucula tantum monere visum fuit. Ac primum quidem propositæ materiæ gravitatem eam non esse, ut Heroici metri majestatem quasi suo quodam jure postulet. Quippe inter causas iræ atque irritamenta, quæ toto libro primo commemorantur, tam levia, tam tenuia, tam minuta occurrunt; ut quemadmodum est mirum animos nostros his commoveri ad iracundiam, ita prorsus videri possit inter formicas tonare, si quis ista sublimiore stylo expresserit. Accedit, quod iræ remedia, quæ potiores hujus opusculi partes tenent, suaviter animis instillanda sint, ac proinde citharam potius requirant, quam tubam. Denique sic res habent hodie, ut Elegiacum metrum citra Parnassi injuriam, non ad luctus solum, atque amores, sed ad argumenta quoque severiora accommodetur. Quid enim? ut ne Propertii pugnam Actiacam, & alia ejusmodi plura commemorem; quid, inquam, de ingeniosissimo Poëtarum censemus, qui Fastorum libros, quibus continentur tam varia, tam à luctibus

bus aliena, tamen ad citharæ chordas exegit? Quid si etiam Horatianum monitum secutus sim, ut de ferendo onere humeros prius consulerem, quam ad ingentem machinam infirmas vires incautus afferrem? Etenim non eò oblivionis veni, ut temeritatis meæ memor non sim. Isti Homerum, atque Virgilium felicius spirent, quibus altius Phœbus intonuit. Mecum præclarè gestum erit, si has tenuiores Camænas eruditus lector non omnino fastidierit. Alterum erat, quod lectorem monitum volebam, à Poëta Christiano alienum non esse, ut Diana, aut Neptunum, aut Cererem, aut Jovem appelle, exclamatque nonnumquam Dii faciant! Non enim his loquendi formulis ad scrupulum Poëtæ, ut Theologi solent, utuntur: imo ne Gentiles quidem semper; sed Bacchum pro vino, Neptunum pro mari, Cererem pro frumento usurpant. Quippe aliud est Theogum, aliud Poëtam agere. Enimvero ridiculus is sit, & in Helicone peregrinus, si quis inter fabulas Religione morbitur. Verum isthæc non moror, multus & difficilis in re nota & perulgata ne sim. Unum opto, ac voveo, ut iracundi ad clementiam, animique modérationem, diffidentes ad pacem & concordiam revocentur. Quem fructum si referant Musæ, hic illis pro lauro erit.



DE

# DE I R A

## L I B R I T R E S.



Ram quę moveant cause, quę damna sequantur,  
Quaque ferox vinci possit ab arte, canam,  
Magnum humeris onus infirmis. O! quod  
mihi Numen

Materiā dignis instruet ora sonis?  
Vatum Phœbe pater, quo vindice prima feruntur  
Sæcula barbariem deposuisse suam.  
Auspice te, cecinere rudes ignota Poëtæ  
Carmina: sim curæ pars ego parva tuæ.  
Tu meritò mitisque Deus, tu diceris author  
Pacis, inoffensæ cultor amicitia.  
Tu, Superos inter, citharæ cantusque repertor,  
Parsque tibi primi nulla vigoris abest.  
Ergo ades, irarumque ortus ab origine prima  
Detege, nec cœptum desete vatis opus.  
Fallor? an arcanum habuit præcordia Nūmen,  
Et novus Aoniis collibus ardor adest?  
Ut feret ardor, agar; quamvis quod semita nulla  
Dicit, inexpertas cogor inire vias.  
Anxius in ventos abeat timor. I mea parvo  
Cymba lacu: Musæ vela minora regent.

# DE IRA LIBER I.

## CAUSÆ IRÆ.

**S**Emina principio juvat invenisse furoris ;  
 Unde oriens subitas excitet ira faces.  
 Quæis veniat causis ; quo vires fomite ducat ;  
 Unde habeat flammæ pabula certa suæ.  
 Hoc opus : has remis faciles tranabimus undas.  
 Propositæ pars hac prima secunda viæ.  
 Non tamen antiqui repetam delicta parentis ;  
 Et male sacrificâ poma revulsa manu.  
 Hinc subiit seros scelerum genus omne nepotes ;  
 Ivit in hæredes ut nova culpa suos.  
 Hoc pelagus commune mali. Mihi rivulus iræ.  
 Quæritur. Hanc ripam remus , & aura leget .  
 Sunt quibus est radix , & causa domestica morbi  
 Bilis ; & infecti , vena , cruralis iuxta .  
 Nec bona temperies , & justo parcior humor ,  
 Et quæ corporibus plura nocere solent .  
 Sicca nocet macies , & vis innata caloris ,  
 Orbibus & retro lumina fixa cavis .  
 Et cava lividulis turgentia tempora venis ,  
 Ossaque per steriles conspicienda genas .  
 Scilicet his , si forte moyes , assurgit in iras .  
 Sanguis ; ut appositus , cum tumet igne , vapor .  
 Aut velut admoras rapiunt cito sulfura flammæ ,  
 Perque leves stipulas lapsa favilla volat .  
 Sæpè etiam cum lacte bibit contagia dira ,  
 Überibusque puer damna futura trahit .

Par-

Parcite nutrices cunis adhibere molestas,  
 Absit & à tectis aspera semper anus.  
 Hæc nocet exemplo ; succis vitalibus illa:  
 Tollenda arbitrio est utraque causa meo.  
 Insunt materno vitiorum semina lacti,  
 Haustaque furtivâ transitione nocent.  
 Romulus arma tener primis tractavit ab annis,  
 Bellaque finitimiis movit acerba puer.  
 Post nova fraternâ firmavit mœnia cæde  
 Barbarus : haud tanti condita Roma fuit.  
 Immitemque ferox duxit per prælia vitam.  
 Nutricem scires hunc habuisse lupam.  
 Discite , mansuetæ præbere alimenta , parentes.  
 Tempore vos illo bile carere decet.  
 Si qua furens pueris lactentibus ubera præbet ;  
 Efferat ingenium prolis, iniqua, suæ.  
 Et refert, quo quicunque loco , quo sidere natus.  
 Aërii motus corpora nostra regunt.  
 Cernis ut oppositis variet regionibus ather ,  
 Inque suas zonas sectus ut orbis eat?  
 Hæc riget ora gelu : pars uritur illa calore :  
 Altera temperie gratior aura suâ est.  
 Hæc animi pariter capiunt discrimina nostri :  
 Iraque fervores sumit ab igne novos.  
 Mitior hinc Belgis venit impetus , acer Iberis ;  
 Decolor & vires sideris Indus habet.  
 Quid referam Lybico nascentes igne leones ,  
 Quasque sinu tigres Africa sicca foyet ?  
 Serpentefque feros , & monstra natantia ripis  
 Celat in æstivis Nilus arundinibus.

## CAUSÆ IRÆ

Nostra peregrinis caret ora benignior ursis:  
 Floret odoratis Belgica terra rosis,  
 Quo magis in nostros veniat clementia mores,  
 Efficitur patrii conditione soli.  
 Ipse vides, quid agant læsi contagia cali;  
 Inficit afflatus cum gravis aura suo.  
 Lurida dum totos abscondunt nubila soles,  
 Noxque tenebrosis humida fertur equis.  
 Corpora tunc languent pariter, nec inertia mentes  
 Linquit, & in lucem somnia longa tenent.  
 At simul in roseis Zephyrus nitidissimus alis  
 Fulsit: adest animis, corporibusque vigor.  
 Carmina tum subeunt, subeunt Heliconia tempe,  
 Et volucres pulso dulcius imbre canunt.  
 Quo raperis? gyro puppis breviore feratur;  
 Arctius & pressâ contrahe vela manu.  
 Non tantum faciles agitat vis sideris iras:  
 Hæc est de minimis causa futura mali.  
 Fortius irritant animos, acuuntque furorem  
 Vina; nec ebrietas litibus ulla caret.  
 Non tibi de nihilo, Liber, Deus ille vocatur:  
 Nempe quod à cyathis libera verba volant.  
 Pessima libertas mentis convitia linguae  
 Sufficit, & rixis uda taberna sonat.  
 Tunc subit attonitas præceps audacia mentes,  
 Iratâque volant pocula jacta manu.  
 Vulnera tunc mappâ deterges cruda rubenti:  
 Sobrius at partes manè dolentis ages.  
 Vina movent animos furiis; nimiumque caloris  
 Vitis habet: vino pes, ratioque labant.

Illijs

## LIBER I.

5

Illius imperio fortissima pectora cedunt ;  
 Rarus & ex illo turbine victor abit.  
 Majus Alexandro nil Græcia protulit olim :  
 Illi finitimos vincere , ludus erat.  
 Sceptra triumphatis , Nabathæa ad litora , Perfis  
 Movit ; jamque Oriens sub pede totus erat.  
 Omnia qui vicit , tamen est superatus ab irâ :  
 Principium cladis vina fuere novæ.  
 Vina ferox suasere scelus , cædemque probrosam.  
 Hæc nota tot palmis una pudenda fuit.  
 Clyte jaces ; neque te Medæ lædere sagittæ.  
 Nempe tuæ titulum mortis amicus habet.  
 Principis , & Baccho victi , nocuere furores ,  
 Jaætaque cum cæcis missilis hasta minis.  
 Victor ut extremos Bacchus penetravit ad Indos ,  
 Tunc primum audaces vertit ad arma manus.  
 Curribus Eoas cœpit tunc jungere tigres ,  
 Militibusque suis tela gerenda dedit.  
 Olim contentus raras dare parcus uvas ,  
 Fundebat Nymphis pocula sola suis.  
 Capripedesque inter Satyros , Faunosque bicornes ,  
 Collibus in patriis pacis amator erat.  
 Haætenus innocuo mortales fonte bibeant ;  
 Nec fuerant ullis condita vina cadis.  
 Prodigus at postquam populis sua munera misit ,  
 Et peregrina malo crevit in orbe sitis :  
 Tunc pariter lites , pariter venere furores ,  
 Pectora cum flammis incaluere novis.  
 O quoties subitus turbat convivia clamor !  
 Nec timet offendos ebria turba lares !

A 3

O quo-

O quoties seros repetens conviva penates,  
Immeritæ vexat dulcia membra domus !  
Vina nocent, turbantque animos ratione sepultâ.  
Qui poterit vino parcere, mitis erit.  
Fallere nec tutum est nocituro tempora ludo.  
Semper dissidii semina ludus habet.  
Victor es? audaci surgent fastidia victo;  
Et tua, materies, palma, furoris erit.  
Quidquid ages, refereſve; animo feret ille maligno,  
Teque reum fraudis suspicioſus aget.  
Non bene jactata est, digitisque morata pependit  
Alea, nec cœptâ volvitur illa viâ.  
Nunc trochus obliquo fallet te cardinis iectu:  
Transmittet vetitâ porta sinistra viâ.  
Nec si juraris, quamvis per Numinia, credet.  
Nulla erit arbitrio res dirimenda tuo.  
Ludendique unus leges, & tempora ponet;  
Donec in extremæ sidera noctis eas.  
Tum tibi subjiciet patientia læſa furorem,  
Nec poteris longæ tædia ferre moræ.  
Non raro & ferro pugnabitur, exitus ille  
Crebro damnandis lusibus esse solet.  
Hei mihi quām māgno ſpes lucri conſtat inanis!  
Dum ſua victori palma cruenta venit.  
Quamlibet hæc rata ſunt; tamēn his graviora ſuperſunt,  
Pluraque libertas quæ tua peccat, habet.  
Ecce ſubit, vexatque recens præcordia febris,  
Alternâ repetens frigida membra die.  
Aut premit articulos, res immedicabilis, humor;  
Difficilifve cavo ſtat tibi dente dolor.

Languida

# LIBERIA

7

Languida vel stomacho tibi nausea surgit inani ;  
Vel tibi dat somnos tussis anhela breves.  
Protinus aut famulum non aptè strata moventem ;  
Aut puerum , bilis quem tua stringat , habet.  
Cymbala tinnitu lœdunt , lusorque catellus  
Vapulat , & domino , quæ placuere , nocent.  
Pocula præcipue succis si dantur amaris ,  
Sive parat ferrum , seu parat ignis opem :  
Tum celer erumpit furor in fastidia : nec te  
Illo , quid deceat , tempore cura tenet.  
Quid facitis ? frustrà verbis lenitis amici.  
Asperitas nullis ista levanda modis.  
Ite procul ; tetrico solamina yestra nocebunt :  
Non uxor poterit , non soror apta loqui.  
Non , si cum cithara veniat solator Apollo ,  
Pectora jucundis leniat ille sonis.  
Corporis infirmam rapiunt contagia mentem :  
Hinc mala difficultis pabula morbus habet.  
Sed tamen & venia est magno concessa dolori ;  
Culpaque censores vix habet ista suos :  
At tu ne causa , caveas , leviore traharis.  
Sæpè graves flammis parva favilla movet.  
Ecce (quis hoc credat ?) varians Fortuna furorem  
Incitat , atque iræ semina casus habet.  
Fortè tibi messis sicutientibus uritur agris ,  
Et negat optatas aridus annus aquas :  
Aut pecori scabies ; aut turbo grandinis uvis ,  
Aut nocuit teneris cana pruina satis :  
Aut lucri cupidum fallit mare ; vel rapit hostis ,  
Mercibus & gaudent barbara vela tuis :

Ureris heu ! queruloque sonat tibi lingua tumultu ;  
 Forsan & in Superos verba proterva jacis.  
 Si vacat exemplis , me teste , recentibus uti ;  
 Accipe ; mendaci non capiere fide.  
 Nuper arundiferi recubabam in litore Scaldis ,  
 In temere errantes lumina fixus aquas.  
 Lintea prospicio summâ cudentia pinu :  
 Impulerat curvos utilis aura finus .  
 Sed nihil est aurâ fallacius : errat , & omni  
 Tempore , quod timeat , navita rector habet .  
 Dum loquor , exortis variant Aquilonibus Austri .  
 Vertit prora latus : lapsaque vela cadunt .  
 Ecce furit , dubisque parat conviria ventis .  
 Navita , & in Boream jurgia cæca movet .  
 Ac pede ter feriens summæ cava texta carinæ ,  
 Devovet ad stygios vela , ratemque lacus .  
 Quid facis ? exclamo ; quæ mentem insania versat ?  
 Improbe , non nostris legibus aura fluit .  
 Numinis arbitrio venti veniuntque , caduntque ;  
 Et tenet , impulsas aut movet unda rates .  
 Irrita sed volucres rapuerunt verba procellæ ,  
 Nec potuit moniti certior esse mei .  
 Atque utinam justis saltem rationibus ira  
 Sæviat , & causæ par eat illa suæ !  
 At leve nescio quid , vix ut tibi dicere possim ,  
 In furias animos præcipitare solet .  
 Quid fuit , ut pectus percusserit ense Timanthes ,  
 Verterit & proprias , in sua fata , manus ?  
 Causa levis : nequiit , quem saepe tetenderat , arcum  
 Flectere , conatu deficiente senex .

Commo-

# LIBERI.

9

Commodus immeritos fornacibus ussit ephebos?  
 Balnea frigidulis, causa fuitis, aquis.  
 Hunc rapit in præceps turbati causa soporis;  
 Illum lapsa cavâ pocula forte manu:  
 Pileus hunc vento raptus, vel pallia limo  
 Obsita, vicina prætereunte rota:  
 Aut iustum pedibus, dum respicit atria, limen;  
 Clavis & angustæ non satis apta seræ.  
 Sive oculos subito surgens tibi stringit eunti  
 Pulvis, ab obliqua subvolitatque via:  
 Seu te detinuit nimbus rus ire parantem;  
 Seu festinatum turba moretur iter:  
 Sive quis è populo cubito premit: ocyus ira  
 Exilit, & geminum lumina fulmen habent.  
 Hei mihi! quam celeri rapiuntur pectora motu.  
 Quam venit à vento magna procella levi:  
 Vidi ego, qui clausas quatiebat calcibus ædes;  
 Tardior occurrens, causa, minister erat.  
 Vidi ego, quæ raptos laniabat stulta capillos;  
 Quod fuerat tenui saucia pectus acu.  
 Comere difficile est dominas, quas forma superbas  
 Inflat, & immodici cura decoris habet.  
 Pectinis hanc dentes, hanc dura sedilia lædunt;  
 Hanc cruciat laxæ ruga relicta togæ.  
 Non satis à medio redimicula vertice pendent,  
 Gemma nec errantes colligit apta comas.  
 Aut nodo properans ancilla erravit in uno,  
 Nec speculum justa præbuit illa manu.  
 Poscit ut ora laver, vel candida brachia tergit?  
 Si tepet, accusat; si calet unda, nocet.

B

Quamlibet

Quamlibet officio studeas ; studeasque decoro ;

Nil satis exactum , quodque probetur , erit .

Quid referam natos curis rivalibus ignes ,

Dum tuus alterius læsus amore dolet ?

Hoc est , cur spreti coeant in cornua tauri ,

Cur sonipes viso calcitret acer equo .

Hæc Lybicos eadem stimulat vindicta leones .

Res est , crede mihi , plena furoris , amor .

Respice solventes Tyrio de litore Teuctos ,

Fæminaque insani testis amoris erit .

Arserat Ænea miserabilis hospite Dido :

Callidus hanc Paphio læserat igne puer .

Illa quidem regni sceptrum dotale paterni

Obtulit ; infidæ dona superba moræ .

Illa etiam infestas ratibus causata procellas ,

Differri timidum sæpè rogavit iter .

Aut non ventus erat velis satis aptus ituris ,

Aut cava laxata texta novanda ratis .

Et , quæcumque animum poterant mollire fugacem ,

Addidit ; inconstans si remaneret amor .

Scilicet ardenter Lavinia perculit uxori ,

Et prælata suo nupta Latina thoro .

Nox erat : urgetur monitu properare Deorum ;

Ille jubet demptâ pandere vela morâ .

Sensit amans Dido (quis enim bene fallat amantem ?)

Sensit , & ardores non tulit ipsa suos .

Ergo ut sublatis albescere jam freta velis

Conspicit ; instantis tristia signa fugæ :

Quo fugis ? exclamat ; scopulis crudelior ipsis !

Huc oculos saltem , perfide , verte tuos .

Dixit,

## LIBER III.

II

Dixit, & insanum gladio finivit amorem.  
Concidit ipsa suas sanguine sparsa manus.  
Scilicet ulti Amor, si quando resistitur illi,  
Fulmina de facibus vibrat acuta suis.  
Quæ fuit eversæ ratio, nisi fæmina, Troia?  
Grajus ut Iliacas perdidit ignis opes.  
Quod nisi Priamides Helenen rapuisset adulter,  
Nulla salo vindex classis itura fuit.  
Qui rapuit captam Briseida primus Achilles,  
Alterius doluit rursus amore rapi.  
Distulit in decimum vindex furor Ilion annum.  
Tantum in amante odium, flammaque læsa valet.  
Nec minus Ambitio tristes movet atra procellas:  
Hæc inimicitæ semina lata jacit:  
Regibus hæc Reges committit, & arma ministrat:  
Arsuras bellis subjicit illa fæces.  
Ambitio Actiacæ signum fatale ruinæ  
Concinit: Joniæ quod meministis aquæ.  
Viveret intacti felix Regina Canopi,  
Anguibus haud victas implicitura manus.  
Viveret; augustæ si non capitolia Romæ  
Sperasset remis vincere posse suis.  
Illa quidem Latias animo jam ceperat arces,  
Classe potens, profugi viribus aucta ducis.  
Victor at Augustus fugientia vela secutus,  
Fæmineas Nilo compulit ire rates.  
Victrix furit, mauroque perit Regina veneno:  
Has mulier poenas ambitionis habet.  
Ipsa etiam immites Inuria suscitat iras.  
Læsus honor tanti prima favilla mali.

B 2

Sæpe

Sæpè aliquis ferrumque libens tolerabit, & ignes,  
 Corporis & poterit parte carere sui:  
 Nec cadet adversis animi constantia rebus,  
 Mitiaque in medio verba dolore dabit.  
 Idem si læsa subeat discrimina famæ:  
 Anguibus asperior, quos rotâ tangit, erit.  
 Hæc est scylla vorax, hæc irrequies Charybdis  
 Naufragii tabulas hæc habet unda tui.  
 Quamlibet hæc firmas fregerunt saxa catinas.  
 Semper ab hac animus vulnera parte tulit.  
**U**tque animi variant, ita non feriuntur eodem.  
 Dissimilis plebem causa movere solet.  
 Ecce piger loris, baculoque feritur asellus,  
 Verberibusque latus, tergoraque icta sonant.  
 At sonipes visam virgæ salit acer ad umbram,  
 Et faciles motus nobilis ardor habet.  
 Dissimulent alii, generosos verba laceſſunt.  
 His salis innocui syllaba, fulmen erit.  
 Infelix animis sedet hinc discordia læsis:  
 Pax abit, extremo vix redditura die.  
 Donec aves silvæ, maturas messis aristas,  
 Oceanus conchas, Hybla fovebit apes:  
 Dum Parthi pharetra pugnabunt, classe Britanni;  
 Austria subjecti dum caput orbis erit:  
 Semper inextinctas injuria nutriet iras.  
 Hæc & amicorum funere trita via est;  
 Hinc triviis crux multa stetit, cædesque loquuntur  
 Marmora, funestis sanguinolenta notis.  
 Obruor incœpto; nec habet mea cymba regressum:  
 Et patet in cursus area lata meos.

Aptius

Aptius æstivo spirantibus aëre ventis,  
 Populeæ numerum coner inire comæ:  
 Aut referam citius, quot apricis collibus herbæ,  
 Quot rutilent toto sidera clara polo:  
 Quam quot seva modis subit in præcordia pestis,  
 Quosque nocens stimulos vita furoris alit.  
 Paci fastus obest, irasque superbia magnas  
 Excitat: exemplum non leve Cyrus erit.  
 Mœnia cincturus motis Babylonia castris  
 Iverat, & regni liquerat arva sui.  
 Et poterat locus ille capi, quia nuda vacabant  
 Mœnia præsidio; plenaque pacis erant.  
 Amnis iter prohibet (Gynden dixere priores)  
 Fonte celer largo, vorticibusque sivequens.  
 Pontibus injectis longa est mora: nare per undas  
 Imperat. hi fluctus, Rege jubente, secant.  
 Lactis erant similes nivea cervice jugales,  
 Et soliti currum ducere Regis equi.  
 Abripit ex illis aliquem violentior amnis;  
 Mergitur hic præceps, vorticibusque perit.  
 O! quantum armatus valuit furor! urbe relicta,  
 Sæviit in surdas ulti inanis aquas.  
 Regis ad imperium ripæ funduntur, & undis  
 Deficiens, siccum præbuit amnis iter.  
 Barbarus exultat, vindictaque gratior illi,  
 Imperium captæ quam Babylonis erat.  
 Cyre quid immeritos rabiem convertis in amnes?  
 Sensus abest illis: iraque vana tua est.  
 Æquum erat irasci populis, hostique merenti.  
 Tu victor: pœnas ille daturus erat.

Nunc tibi neglecti periit fortuna triumphi.  
 Exitus hic cæcis mentibus esse solet.  
 At repetamus iter; nocituri cuncta furoris  
 Semina, propositum pandere suadet opus.  
 Dissimulare nefas: vitium commune revelo.  
 Accipe; habet sensus candida musa meos.  
 Plus æquo sibi quisque placet, plus arrogat æquo:  
 Dotibus & nostris turba superba sumus.  
**U**t celer à Belgis nigros porteris ad Indos,  
 Terra suos mores barbara quæque probat.  
 Quisque lubens audit propriæ præconia famæ;  
 Rarus in alterius laude disertus erit.  
 Sive cupis stultum, sive hoc puerile vocari;  
 Res tamen, utrovis nomine, certa venit.  
 Ille cupid doctus, cupid hic formosus haberi;  
 Huic sua nobilitas, sit licet empta, placet.  
 Hic rudis eloquio, se judice, vincit Ulyssem;  
 Divitis hic titulo, Consulis ille tumet.  
**H**oc est, cur minimam voci movearis ad umbram,  
 Irritat flamas ista favilla tuas.  
 Experiare licet; te teste fatebere culpam,  
 Teque reum noti criminis intus ages.  
 Sæpè etiam ambiguo nocuit vox edita sensu;  
 Et malus interpres, pejor & hostis eras.  
 Quid facis imprudens? quid sensu verba sinistro  
 Accipis, in luctus ingeniose tuos?  
 Falleris: hic verbo te lædere noluit isto:  
 Tu tibi, quod non est, fingis inepte scelus.  
 Sic vaga nocturnus properans per rura viator,  
 Quam peteret ferro nescius, umbra fuit.

Nocte

Nocte fatigatos sic anxius occupat horror,  
 Somnus & hostiles fingit adesse manus.  
 O! ubi simplicitas antiqui candida mundi?  
 Dum colerent humiles Numina prona casas.  
 Illo, non quis caros ladebat amicos  
 Tempore, non belli noxia cura fuit.  
 Pax erat, & nullæ, quas fastus parturit, iræ;  
 Nullus ab ambiguis vocibus, error erat.  
 Ancipitesque soni rigido censore carebant.  
 Grande nefas: teatos velle putare dolos.  
 Nunc superis terrâ, per crimina nostra, fugatis,  
 Alter in alterius vocibus ultior adest.  
 Nec pudet à veris alienos fingere sensus,  
 Nec pudet arbitrio quæque notare suo.  
 Scilicet in pejus declinat senior ætas,  
 Gensque parum simplex, nec sine fraude sumus.  
 Fama quoque, & facti veniens temerarius index  
 Obfuit, & menti vulnera cæca dedit.  
 Dispereat! lingua quicumque nocere susurra  
 Sustinet, & medios dissipet aura sonos!  
 Nec tamen inquiris, veri si criminis index  
 Venerit: arbitrium prævolat ira tuum.  
 Nuntiet ut falsum, rumore movebere falso.  
 Dii faciant, lente credulus esse velis!  
 Quæritis Hippolytum Theseus cur limine pulsus  
 Perdiderit? facti causa noverea fuit.  
 Illa quidem falsum narraverat improba crimen:  
 Devovet hunc furiis non minus ille suis.  
 Phædra quid exultas, odioque extinguis amorem?  
 Gloria, privigno parcere, major erat.

Tu quoque debueras non tam cito credere Thesæu:  
 Innocuus patriis non raperetur equis.  
 Cur Cephalum Procris vetiti damnavit amoris ?  
 Auribus infelix credidit ipsa suis.  
 Dum furit , & crimen properat visura mariti ,  
 Vanus , & heu ! serò cognitus error erat .  
 Quid moror exemplis ? nimium studioſa ſinistra ,  
 Et nimis in pejus credula turba ſumus .  
 Suspicio quoque ſæpè nocet : ſi tangeris illâ ,  
 Lædit , & in tacito pectore vulnus alit .  
 Sive aliquis fixo ſpectat tua lumina vultu ;  
 Ureris , & fixus crimina vultus habet .  
 Sive quis è turba , populo plaudente , cachinnat ;  
 Judicio riſus te petit ille tuo .  
 Non venit ad cænam conviva vocatus eamdem .  
 Cauſa latet : ſed , te judge , fastus erit .  
 Huic brevis eſt ſermo : properata silentia culpas .  
 Nempe aliiquid , quod te cclat amicus habet .  
 Ille morâ peccat , lentoſque ſalutat euntem .  
 Tuſſiit hic : tuſſis ſed tibi fiſta venit .  
 Semper ab alterius factis , ſint integra quamvis ;  
 Materiam culpæ ſuſpicioſus habet .  
 Quò non fraud penetrat ? verbo non læderis ullo ?  
 Languidus , & , ſocio judge , lentoſ eris .  
 Ille tuos dictis animos ſtimulabit amaris .  
 Ille dabit cineri ſulfura viya tuo .  
 Arguet & timidum , niſi ſi vindicta ſequatur ;  
 Et cupiet famæ velle favere tuæ .  
 Turpis adulator ! quid in altas vimina ſilvas ,  
 Aut quid Carpathiis fluctibus addis aquas ?

Parce

## LIBER I.

17

Parce animum blandis, scelerate, laceſſere verbis.  
 Ut nihil adjicias: ſponte diſertus erit.  
 Non eget impulſu, nimium quoque prona furoris  
 Semita; ſed fræniſ impedienda fuit.  
 Altera, ſed levior, rixas tibi cauſa minores,  
 Morum diſparitas, ingeniique parit.  
 Inter tot comites, poterit tibi quilibet alter  
 Quidlibet, offenſa non prohibente, loqui.  
 Hic tibi diſſimilis fato, & natalibus horis,  
 Dicat idem: verfa fronte ſeverus eris.  
 Dic mihi, quid cauſæ? neſcis. Hoc ſcilicet unum eſt:  
 Non ſatis ingenio convenit ille meo.  
 O miſer! atque feris magis intractabilis ipliſ;  
 Qui ſocio, cauſā deficiente, noces.  
 Hoc neque pacatos patietur pectoris ignes:  
 Judicio numquam cedere velle ſuo.  
 Cum ſemel immotam ſubiit ſententia mentem,  
 Permanet, atque animo fixa, tenaxque ſedet.  
 Si quis in adverſum victor rationib⁹ urget,  
 Diſplicet; audacem te mala cauſa facit.  
 Saepè furens aliquis, cauſā deceptus inani,  
 Subſtitit, erroris conſcius ipſe ſui:  
 Pergit, ut errorem celet: pudor ipſe furentem  
 Incitat, & culpa pœnituisse piget.  
 Adde quod & curæ, niſi ſi modereris & illas,  
 Difficilem faciunt, perpetuusque labor.  
 Præcipue cum fervet opus, rebusque laborat  
 Mens intenta sagax, ingeniumque vigil.  
 Tunc neque commotæ ſonitum tolerare fenestræ,  
 Nec potis es vocem, ſi qua loquentis erit.

C

Nec

Nec moderata dabis responsa rogantibus ; & te  
 Risus secreta lœdet ab usquè domo :  
 Quin etiam eventū spes irrequia secundi ,  
 Successuque carens , causa furoris erit.  
 Forte feret gladium , jussus dare pallia servus ,  
 Non intellectis promptus abire sonis.  
 Tardius aut domini peragens mandata moratur ;  
 Aut responsa celer , non tamen apta , refert.  
 Impatiens subit ira animum ; procul ire jubetur  
 Ocyus à vultu rusticus ille tuo .  
 Quid ? quod inops vietus , vacuæque incommoda mensæ  
 Irritant animos , impatiensque sitis ?  
 Nudaque paupertas sociis comitata querelis ,  
 Cum fuit angusto tempore nullus opem .  
 Immoderata citas causant jejunia rixas ,  
 Et faciles iras venter inanis habet .  
 Quid ? quod avaritiæ sordes ; nec honesta tuendæ  
 Cura domûs , paci mentis obesse solet ?  
 Perdita res levis , & lapsæ jactura scutellæ  
 Angit , & in querulos concitat ora sonos .  
 Non aliter , quam si Parthus prædator avitas  
 Auferat , & raptas ignibus addat opes .  
 Credis & hoc ? nummus digitis elapsus apertis ,  
 Volvitur ex oculis , non sine bile , tuis .  
 Verre pavimentum , & laxis admirte fenestris  
 Lumina : palpantes decipit ille manus .  
 Interea frustrâ quærentem tœdia lœdunt ,  
 Iraque de minimâ surgit acerba morâ .  
 Ille latet tenui rimæ celatus hiatu ,  
 Angulus extremo continuitye sūnu .

Non

# LIBERIA

61

Non raro & sceleri scelus est via. Sæpe innocentes  
Urget, & in furias Æacus ulti agit.  
Noxius Eumenidum stimulis agitatus Orestes,  
Non poterat culpæ non memor esse suæ.  
Illi ante oculos manus Venere cruentæ,  
Nigraque perpetuas attulit umbras mias.  
Hinc terror, Furiæque, & mens excita tumultu,  
Horrendisque brevis somnus imaginibus.  
Penthea quis nescit, scelerati & fata Lycurgi?  
Improbis est furiis notus uterque suis.  
Singula quid referam? numerum sua copia vincit,  
Semper & exhaustis ulteriora patent.  
Nam neque frondosa glandes numerabis in Ida,  
Atque oculos fallax vincet arena tuos:  
Et tibi conanti causas censere furoris,  
Usquæ fatigato, quod superabit, erit.  
Præteritus eram morosæ fata senectæ.  
Quis nescit querulum carpere cuncta senem?  
At tu, si sapies, quidquid narrare parabit,  
Annue: judicio gaudeat ille tuo.  
Arguis? extremos in flamمام colligit ignes,  
Concutiens canum voce tremente caput.  
Quid tamen esse putem, cur sit morosæ senectus?  
Anne quod infirmis mens, ratioque labat?  
An quod in effero minuuntur corpore vires,  
Morborumque senes triste fatigat onus?  
Anne decere putent canis censoribus uti;  
Temporis & nostri de levitate queri?

II

C 2

Et

Et meliore notâ describere sacula lapsa,  
 Utque recens ætas deteriora ferat?  
 Quidquid id est, veniam querulæ concede senectæ.  
 Sic tibi canitatem Dii, sine lite, ferant!  
 Pars exacta novi, superest pars altera, cursus.  
 Hac mea tantisper cymba moretur aquâ.



DE

# DE IRA LIBER II DAMNA IRÆ.



Actenus irarum stimulos, causasque canebam.  
 Quos petuit portus, nostra carina tenet.  
 Majus iter supereft. Ventis cita carbasa nautæ  
     Tollite: de Pindo fortior aura venit.  
 Dum favet, & vires faciunt, nec pectore Phœbus  
     Dexter abeft; iræ damna dolenda canam.  
 Ordior à signis. Sunt & sua signa furoii;  
     Nec caret indiciis ira propinqua fuis.  
 Titan nube latens, repetitaque litora mergis,  
     Auditique procul murmura lenta maris:  
 Prædicunt trepidis ventura tonitrua nautis.  
     Intonat exigua, certa procella, mora.  
 Et sua tempestas animo eft; rabiemque futuram  
     Mutato veniens indicat ore color.  
 Impatiensque oculi fulgor, fronsque aspera rugis,  
     Hirtaque cæsaries, instabilisque gradus:  
 Et tremulæ cum voce genæ, jactataque latè  
     Brachia, & in validos ora soluta sonos.  
 Omnibus his ardens animus conatibus iram  
     Nuntiat: his dueibus bella propinqua monet.  
 Ipsæ etiam dant signa feræ: neque calce minaci  
     Parcit arenosam lædere taurus humum.  
 Annoisque furens exercet cornua truncō,  
     Prælia mugitu sollicitatque truci.  
 Colla paludosis inflari vidimus hydris,  
     Et dare percusso sibila dira lacu.

C 3

Nec

Nec minùs antra feri terrent Hircana leones,  
 Unguis, aut fulvâ cum tumet ira jubâ.  
 Ipse vides ut fulmineis aper horridus instet  
 Dentibus; ut nigrâ lumina fronte rotet.  
 Usque adeò in faciem prodit, nescirque latere,  
 Adventûsque notas dat furor ipse sui.  
 Non tamen iratis facies erit omnibus una.  
 Palluit hic: illi vultus, & ora rubent:  
 His clamosa venit rabies: his muta, tremensque:  
 Hæc vaga, & instabilis forma coloris erit.  
 Non magis apparet variata coloribus iris  
 Solis ab adversis cum rubet arcus equis:  
 Quam variè dubiâ facies mutatur in irâ,  
 Formaque diversas accipit una notas.  
 Diffugiunt torvo Decor, & Clementia vultu.  
 Fœta Medusæis anguibus ora putes.  
 Quid? quod & authorem lædit, minuitque vigorem.  
 Corporis, & damno pascitur ira tuo?  
 Quid? quod agit dubiam præceps infania mentem,  
 Ipsaque lux animi, nube premente, fugit?  
 Vidimus à rabie totos torpescere sensus,  
 Nullus in exangui corpore motus erat.  
 Vidimus & misero pectus trepidare tumultu.  
 Sunt quoque, quos subito diriguisse ferunt.  
 Adde quod infirmis pulmonibus ira cruentum  
 Misit, & in stygiis vulnera lavit aquis.  
 Lenior ut fuerit, neque peccet funere semper:  
 Exemplis tamen est illa timenda tibi.  
 Posse nocere sat est. felix! quicumque periclo  
 Alterius, didicit posse carere suo.

Neve

Neve putes rectæ domitam rationis habenis  
 Posse regi : victas non dabit ira manus .  
 Montanas citius fræno compescere tigres ,  
 Et poteris fœtæ ponere jura lupæ .  
 Aggeribus veluti ruptis it spumeus amnis  
 Victor , & effusas per sata volvit aquas :  
 Cum pecus , & prensos imis in vallibus agnos  
 Abripiit ; & fragiles procubuere casæ :  
 Haud aliter frænis victrix ruit ira solutis  
 Omnibus , & toto volvit in orbe minas .  
 Non illam gemino populi sub sole jacentes ,  
 Non vitare polis subdita regna valent .  
 Quà rubet Eois radiis ; quà terra diurnis  
 Uritur ; Hesperiis quà cadit axis aquis :  
 Quà Boreasque , Notusque volant ; victricia signa  
 Figit , & à tota gente tributa petit .  
 Et non ulla tamen sexûs discrimina curat ,  
 Nec faciunt anni , tutus ut esse queas .  
 Non pueros , non ira senes , mediamque juventam .  
 Præterit : imperio cuncta potente premit .  
 Nec premit ex æquo . Variant effectibus iræ ,  
 Et minus hic ; illic plus feritatis habent .  
 Exoritur facilis , facilis quoque deficit idem ,  
 Et furor in puerō nil nisi verba ciet .  
 Impetus in teneris non est violentior annis ;  
 Sic cita de paleâ flamma , brevisque venit .  
 Sæpè tamen lacrymæ pueris funduntur inultis ,  
 Et cum non possint lædere , posse volunt .  
 Dulcè adeò vindicta malum est : minuitque dolorem  
 Lædendi studium ; sumptaque pœna placet ,

Cur senibus fuit i:a minus ? quia scilicet ignis,  
 Et vigor , annoso stipite , rarus adest .  
 Cum subit ira senes ; trepidantia verba palato  
 Hærent : & gestu res peragenda venit .  
 Quod si forte mali feriunt , baculove minantur ,  
 Ultima tum vires exerit ira suas .  
 Mox velut in cineres sopus labitur ignis ,  
 Sic ætate furor deficiente cadit .  
 Fæmina (grande malum) stimulis agitata furoris ,  
 Vindictæ cupidas aptat acerba manus .  
 Scilicet hinc genus hoc Bacchas dixere furentes ,  
 Penthea quas Regem dilaniasse ferunt .  
 Crede mihi , rati didicerunt parcere læsæ .  
 Jure Hecubam fecit fabula prisca canem .  
 More canum triviis coëunt : latrare putares :  
 Totaque fæmineâ compita voce sonant .  
 Causa levis satis est ; ardent in prælia linguæ .  
 Siste precor , si quis fortè viator ades .  
 Ecce subit torvâ violentior illa Medusâ ;  
 Altera fert raptâ cominus arma colu .  
 Nec mora , turbati rapiuntur fronte capilli ,  
 Nudaque subductâ brachia veste patent .  
 Calcibus immixtis pugnatur , & unguibus uncis ,  
 Læsaque jactatæ dantur in ora manus .  
 Et maledicta volant Ætnæis plura favillis ,  
 Ut motant Briareus , Enceladusque latus .  
 Hoc plebs more fuit . Meminit matrona decòri .  
 Illa supercilio , cum subit ira , tonat .  
 Fulminat illa oculis , & longa silentia servat ,  
 Verbaque majestas pondus habere facit .

Acrior

## LIBER II.

25

Acrior ira viris , & ad horrida promptior arma ;

Odit verborum prælia : rebus agit .

Lite viri demptâ , faciunt compendia ferro ,

Telaque pro verbis , scutaque pulsâ sonant .

Cum foret Æacidæ clypei successor habendus ,

(De merito judex Græcia tota fuit .)

Dicitur his Ajax , castris cum staret Achivis ,

Dulichium verbis increpuisse ducem .

Si dubia est virtus ; clypeus jaciatur in hostes .

Qui poterit ferro quærere , vîctor erit .

Non Ithacus verbis mecum contendat Ulysses .

Marte probet : cur non , quæ petit , ense refert ?

Dixit , & aspiciens , quam texit ab Hectore , classem ,

Torva per idæas lumina volvit aquas .

Conticuitque ; animo vocem indignante virili .

Magnum aliquid semper , quæ tacet ira , parat .

At tu fallaci nimium ne fide sereno .

Non habet eventus pax violenta bonos .

Ille cavis vivax latitans sub nubibus ignis ,

Quo mīnimè credis tempore , fulmen erit .

Bella intus cædesque sonant , occultaque venis

Crescit , & ardores colligit ira novos .

Ergo ubi , judicibus Danaïs , postponitur Ajax ;

Atque Ithaci clypeum lingua diserta tulit :

Ecce tacens , animoque tegens Telamonius iram ,

Pectoribus ferrum , quæ patuere , premit .

Tunc quoque jam moriens oculos contorsit in hostem ,

Atque odium cineri jussit inesse suo .

Tantum animo latitans valuit furor . Occidit Ajax ,

Sigæaque cadit sanguinolentus humo .

D

Nec

Nec minus occultis agitatur fæmina flammis,  
Celat ubi ardore mens taciturna suos.  
Tunc caput in patrem cæsi Philomela nepotis  
Jecit, & est epulis turpiter ulta nefas:  
Cum furor inclusus; raptæque injuria linguae  
Non habuit promptos, quos daret ore, sonos.  
Dum potuit Medea loqui, moderatius arsit.  
Sustinuit natos perdere muta suos.  
Quidquid celatur, nocuit magis: utile fæpè,  
Ædibus accensis, pandere tecta fuit.  
Flamma minùs laxata nocet: de carecœ vires  
Sumit, & impositum turbine jactat onus.  
Fæmineâ tamen est constantior ira virorum.  
Placari longâ vix solet illa die.  
Ut citò mutatur, variisque affectibus errat:  
Fæmina; sic parvâ præterit ira morâ.  
Firmius ingenium maribus natura, feroxque  
Propositique tenax pectus habere dedit.  
Permanet in longos furor indelebilis annos,  
Inque odium crebrò flamma virilis abit.  
Ut semel hæc animos subiit, penitusque resedit;  
Omnia contemptâ, fœdera, pace ruunt.  
Non satis utilitas, non commoda publica mentem  
Flectere, non ratio, consiliumque valent.  
Pergama quis nescit decimum cecidiſſe sub annum?  
Prælia cum lustris gesta duobus erant.  
Cur malè tot messes tardi pugnastis Achivi?  
Non venit ad fortis gloria lenta manus.  
Nam licet objecit pro caris pectora muris,  
Causa moræ Danais non tamen Hector erat.

Oderat

Oderat impatiens Agamemnona laesus Achilles,

Oderat : hinc lentè diruta Troia fuit.

Pugnabant Danai ; citharam pulsabat , & ultrò

Vindictæ studio desidiosus erat .

Ecce petunt classem , sigæaque litora Troës ,

Dardanias ratibus subjiciuntque faces .

Hector adest , animoque ferox insultat Achivis ,

Et victor multa cæde superbus ovat.

Pelides ubi nunc ? ubi nunc vulcanius ensis ?

Olim ter stygio membraque tincta lacu ?

Puppe sedens aliquâ spectat certamina latus.

O pudor ! ô patriæ miles acerbe tuæ !

Ergo cum toto rabies dominetur in orbe ,

Effectu variat , dissimilisque sibi est .

Igne tument graviore viri : scintilla inventam

Parva moyet : medium fæmina vulnus habet .

Hæc ferit ira reos : infontibus illa minatur :

Hæc brevis est : longâ permanet illa morâ .

Illa , quod hostis abest , peregrinas fertur ad oras ,

Audax longinquo pandere vela mari .

Illa palam gladiis , & apertis dimicat armis :

Cautior insidias ista latenter agit .

Hæc , quod vindictæ non est data copia , frendet :

Ira suum diris devovet illa caput .

Est quoque , quæ vestes laceret furibunda , Deosque

Non timeat vanis lædere velle minis .

Confule præteritos , Romana volumina , fastos ,

Notaque sacrilegi regna furoris erunt .

Hic , quia tempestas jactaverat æquore toro ;

Augustas scopulis impuleratque rates :

Neptunum in numero vetuit centere Deorum,  
 Sceptraque cæruleo sustulit uda Deo.  
 Exhibiturus erat populo spectacula Cæsar  
     Ludicra, Romano conspicienda foro.  
 Ordinibus geminis geminum processerat agmen,  
     Promptaque erant pharetris aurea tela suis.  
**U**ndique gens excita novos visura triumphos  
     Venerat: ornatas flore tegeinte vias.  
 Jupiter immisis dirimit spectacula nimbis;  
     Festaque lux, casu, nubila tota fuit.  
 Impius excussis Cæsar petit astra sagittis,  
     Immeritum pharetrâ sollicitatque Jovem.  
 Credibile est lapsas Regem Petuisse sagittas.  
     Pars populi certè vulnera fronte tulit.  
 Ut semel hæc animos rabies excæcat ovantes,  
     Sidera vix alto tutâ fuere polo.  
 Relligioque fugit terras exosa nocentes;  
     Et Pietas aris exulat; ore Pudor.  
 Aurea majestas templorum, atque aurea signa,  
     Vasaque sacrilegâ rapta fuere manu.  
 Nil adeò sanctum est, quod non violaverit ira.  
     Vix licuit tuto sceptra tenere Jovi.  
 Stulta Gigantei quis nescit prælia belli,  
     Cum tumidus cælo Pelion esset iter?  
 Enceladus, Briareisque, & vasto corpore Cœus  
     Stabant: pro telo, pars bona montis erat.  
 Centimanusque Gyges alto prædator Olympo  
     Ivit, & audaci terruit astra viâ.  
 Quæ fuit, ô yates, singendi hæc monstra libido?  
     Dicite, si veri fabula pondus habet.

Dicite,

## LIBER II.

29

Dicite, quid validis pubes Aetnea laceritis,  
 Ossaque Pelaco vertice pressa, velint:  
 An, quod habent magnas furor, atque insanias vires,  
 Ista Gigantei corporis ossa notant?  
 Anne, quod impietas comes est adjuncta furori,  
 Fingitis in superos praelia gesta Deos?  
 At, nisi me sacrâ fallit caligine Phœbus,  
 Judicio vera est utraque causa meo.  
 Parcite divinos falsi damnare Poëtas.  
 Vera, sed injectâ plurima nube, canunt.  
 Tartara sic Orpheus, sic Dædalus æta rupit,  
 Æquor Arionia sic domuere lyra.  
 Nec tamen antiquos latuit sapientia vates,  
 Crede mihi, vulgo non penetranda canunt.  
 Discite, post cælo pulsos Jovis igne Gigantes,  
 Difficiles ausis turpibus esse vias.  
 Discite, sacrilegæ post improba prælia turmæ,  
 Opprimat auctores ut gravis ira suos.  
 Ter tonuit Jovis alta domus, tria fulminia misit:  
 Enceladus contrâ ter ferus arma tulit.  
 Fulminis at quarti percussus creditur ictu  
 Trinacriæ victum suppositissime latus.  
 Neptunus scopulis Ægæona vinxit acutis,  
 Naufraga quem vasti verberat unda maris,  
 Porrectusque jacet volucres passus edaces,  
 Infernâ Tityus præda perennis aquâ.  
 Talibus exemplis subjectus dicitur orbis;  
 Et sua majestas tuta fuisse Jovi.  
 Quid tamen ista juvant? nova nos in tela rebelles  
 Surgimus, & cælo gens inimica sumus.

D 3

Arma

Arma lacerbito furor infert cæcus Olympo,  
 Nostra profanatos nec timet ira Deos.  
 Trita, frequensque via est, testes asciscere Divos  
 Criminis, & Superis perfida verba loqui.  
 Sub pedibus legesque jacent, Rectumque, Piumque:  
 Imperium, exactis legibus, ira tenet.  
 Hæc docet, audaci perjuria dicere linguâ:  
 Hæc docet, aspersas ferre cruento manus.  
 Imperat illa faces alienis addere tectis,  
 Raptaque nocturno præmia ferre dolo.  
 Regibus hæc aconita parat, Bacchumque nocentem  
 Inficit, & gemmâ mixta venena natant.  
 Illa etiam natis contemnere jussa parentum  
 Suasit, & in fratres fratribus arma dedit.  
 Bella furor Thebana movet; primique parentes  
 Fleverunt viduæ funera prima domûs.  
 Cum fratrem antè aras maxillâ crudus agresti  
 Perculit, & vindex ivit ad astra cruor.  
 Ista quidem nostri primordia pessima mundi,  
 Et nova privati bella fuere laris.  
 Heu! quantum exemplum nocuit discordia vires.  
 Sumpsit, & hæredes inficit atra suos.  
 Lite vir & conjux, verbisque procacibus ardent,  
 Inque odium pietas conjugialis abit,  
 Læsus amor fratri, querit, divortia telis;  
 Quam cupebet socii vincla soluta thori!  
 Jurgia succedunt: utinam quoque verbera cesserent!  
 Quæque vetant clausæ plura videre seræ.  
 Hic quia natali fratrem præcesserat uno,  
 Arguit, & verbis imperiosus agit.

Majori

# LIBER II.

31

Majori parere minor negat : insonat omni  
Pugna domo , & tarde conciliatur amor .  
An similis silvis rabies reperitur in altis ?  
Sufpicor ingenium mitius esse feris .  
Non furor hic catulos sub eadem rupe jacentes  
Cogit in alternas unguibus ire jubas .  
Cætera qui vastant , deprædanturque leones ,  
Mutua concordi fœderâ pace colunt .  
Nos tamen , enixa est partu quos mater eodem ,  
Non pudet in proprium vertere tela genus .  
Non scelerata pudet committere prælia dextris ,  
Et consanguineis cædibus ire truces .  
At Solem puduit , dum currus vertit in ortum ,  
Noxque Thyestæas occulit alta dapes .  
Quodque nefas ausa est tectis Philomela sub altis ,  
Devovet , & ferò post sua fata gemit .  
Quid privata cano ? velis majoribus ire  
Convenit : ecce parat Regius arma furor .  
Odrysius sine lege furens , sine jure Tyrannus ,  
Perfida , neglecto fœdere , bella movet .  
Jam vires Asiar , & gaudentes sanguine Parthos ,  
Et Tanaim , & Nilum sub sua signa vocat .  
Hei mihi ! quam largo dirimetur sanguine bellum !  
Oppida quot longo Marte perusta cadent !  
Ille quidem Europam prædari barbarus omnem  
Ardet , & Austrïaca tollere sceptra domo .  
Quà properant , mæstis collucent omnia flammis ,  
Arvaque , pro rastris , ungula pulsat equi .  
Ense senes , puerique cadunt : captiva juventus  
Ducitur : accipiunt barbara vincla manus .

D 4

Ira

Ira præit , comitesque Nefas , Fraudæque sequuntur ,  
 Sibilaque anguiferis longa dedere comis .  
 Parthe quid exultas ? causæ Deus ultior iniquæ  
 Imminet , & lœvum Mars tuus omen habet .  
 Ecce lacesitus justissima prælia Cæsar  
 Conseret , & Superos ad pia bella trahet .  
 Parcite Dii , nostrolque duces servate secundi .  
 Criminibus vacuas prosit habere manus .  
 Auguror : Eoæ flebunt sua funera matres .  
 O quantâ furor hic clade piandus adest !  
 Insonuere tubæ : concurritur Hei mihi quantis  
 Funeribus tardas continent Ister aquas !  
 Sed tamen hinc aquilas video superare minaces ,  
 Inque Scythas belli grande reclinat onus .  
 En Bavarus , Lothariusque Duces fugientibus instant ,  
 Inque acies pronas hasta Latina volat .  
 Gratia Diis , domiique tuæ mitissime Cæsar .  
 Principe te , noster Dravus , & Ister erunt .  
 Tu tibi sic similem videoles adolescere prolem ,  
 Ut per pulchra sui facta parentis ear .  
 Deque tuis cingas natorum tempora lauris .  
 O ! pars sit voti nulla caduca mei !  
 At vos præcipites in perfida bella Tyranni ,  
 Nequidquam in vanas impulit ira minas .  
 Tot cæsæ Mayorte acies , populataque flammis  
 Arva , tot in subitos mœnia versa rogos ;  
 Tot desolatis squalentia rura colonis ,  
 Telaque , & in timidas vincula jacta manus :  
 Omnia sunt culpæ , monumenta perennia vestræ .  
 Tot scelerum facies ira cruenta parit .

Arque

Atque utinam Eois furor hic mansisset in oris !

Cur tamen & nostris finibus arma sonant ?

Parcite Christiadum populi , gladiosque cruentos

Ponite : sat nostri sanguinis ensis habet.

Quid fraterna juvat toties in bella coire ?

Ite per Euxini litora capta maris .

Ite per & fines Asiac , Solymaque regna .

Hic premium justi nobile martis erit .

Palmiferum nemus , & Superis quoque cognita tempe ,

Et juga , cælestes quæ tetigere pedes .

Et trepidus , jam nunc turbato flumine Nilus ,

Quasque Oriens vobis abstulit orbis opes .

Vana precor . Nostro gliscit discordia mundo ,

Et furor ex omni prælia parte movet .

Hinc tonat impulsis iratum classibus æquor ;

Puppibus illisis saxa Britanna sonant .

Mille rates coëunt , & rostris rostra laceffunt ,

Decolor & fessis Nereüs errat aquis .

Quæque olim parvis fidebat currere remis

Gallia , jam ponto maxima vela parat .

Parte aliâ torvi quatuntur cornua Rheni ,

Et malè fert dominos utraque ripa novos .

Nec Latiis Martem licuit vitare colonis ,

Iraque trans Alpes agmina celsa movet .

Sæpè Pyrenæi rubuerunt sanguine montes ;

Nostraque vix pacem Belgica novit humus .

Nulli tuta quies . Cruor undique , & undique cedes :

Diminuunt vires mutua regna suas .

Quò tamen hic belli fervor ? quid quæritur armis ?

Jugera nempe soli paucula viator habet .

Hoc pretium pugna. Valeant ensesque , tubæque:  
 Pax mihi , non ampio limite , tuta placet .  
 Non ego sum , quem bella juvent ; me propter Ibērus  
 Prælia cum Gallo milite nulla geret .  
 Dives ero , nido modo ne subdueta recenti  
 Ova mihi defint , micaque pura salis .  
 Quemque prius duxit salientem linea pisces ,  
 Ille mihi prædâ divite major erit .  
 Felices quibus ista licent ! sed scilicet ira  
 Invidet , & Belgis infidiosa manet .  
 Ut redeat pax alma tamen , mæstosque revisat ,  
 Miles & emeritum sublevet ense latus :  
 Non ideo totis fugiet regionibus ira .  
 Hæc etiam mediâ prælia pace moverit .  
 Quid referam fractos civili turbine fasces ,  
 Raptaque per longas membra cruenta vias ?  
 Seditio ut populos in bella domestica movit ?  
 Hoc Thebe , hoc periit Martia Roma modo .  
 Cæsar is aspersit fusus capitolia sanguis .  
 Quis credat ? Bruto vulnus ab hoste tulit .  
 Tullius ille potens quondam , cervice recisâ  
 Nunc jacet : hæc linguæ præmia Consul habet .  
 Proh pudor ! ex illis figuntur pallida rostris .  
 Ora , quibus trepidos juverat ante reos .  
 Nec Batavis desunt exempla recentia terris ,  
 Tractaque perque vias funera , perque domos .  
 Hunc furor infixo rapuit crudeliter hamo .  
 Illum saxa , citâ grandine plura , petunt .  
 Scuta foro , gladiique sonant . Subit atria victrix  
 Turba : per ardentes effugit ille manus .

Exoritur

## LIBER II.

35

Exoritur clamor facibus per inania jactis ,  
Consulis & priscae diripiuntur opes ,  
Et nihil intactum violenta licentia plebis  
Præterit : immensum est singula velle queri .  
Non mihi si missæ veniant Helicone puellæ ,  
Pegasæque sacro fonte bibantur aquæ :  
Totaque sic faciles subeant præcordia Musæ ,  
Versibus ut cedat Græcia præsca meis :  
Damna satis cæci valeam memorare furoris ,  
Materiâ vires uberiore cadent .  
Confer in Jönio nascentes equore pisces ,  
Confer in Ascreis gramina nata jugis .  
Adde vagos fluctus : numero vincentur , & iræ  
Fertilior damnis noxia messis erit .  
Herculeis cecidit pestis Lernæ sagittis ,  
Quamvis vulneribus cresceret illa suis .  
Hæc nova millenis cervicibus Hydra renascens  
Pullulat . Alcidem da mihi , victus erit .  
Ne tamen ex omni lateat vos parte venenum ,  
Indicio musæ nota fit ira meæ .  
Noscere nunc labor est ; post debellabimus hostem :  
Si modo promissam Delius addat opem .  
Vos quoque , qui sevæ petitis solamina pestis ,  
Ante decet tanti discere damna mali .  
Parte patent aliquâ ; totis in viscera cultris  
Ibimus : huc oculos veritate quisque suos .  
Ira per obstantes properat lœsura propinquos ,  
Consiliumque odio vera monentis habet .  
Nec refert geminæ suasurus fœdera parti ,  
Sollicitus pacis conciliator eas .

E 2

Vidi

Vidi ego pugnantes stricto concurrere ferro :

Nullus & in populo , qui prohiberet , erat .  
Scilicet in medios qui se projecterit enses ,

Mutua dum prohibet vulnera , læsus abit .  
Utque agitur cæco pulsâ ratione tumultu ,

Omnibus obscuras injicit ira manus .  
Cambyses Syriis uncas præcidere nares

Jusserat , atque imis tollere labra genis .  
Grande nefas ! tamen in captos ita sœvit hostes .

Post ferus ipse suis non minor hostis erat .  
Æthiopum populi tumido patere Tyranno ,

Jussaque longinqui ferre tributa negant .  
Hos procul à Persis Indus submoverat amnis ,

Tutaque ab ingenio gens erat illa loci .  
Cambyses fremit impatiens , amensque repulsâ

Æthiopes subito perdere marte parat .  
Jamque ingens nigros exercitus ibat ad Indos ,

Quò tulerat vires Persia tota suas .  
Quò ruis imprudens ? regio caret illa colonis .

Quà properas , densis montibus aret humus .  
Non Cereris , vitisve ferax ; non gramina tellus

Ulla , nec errantes parca ministrat aquas .  
Parce sine annonâ temeraria bella movere .

Utilior votis proxima messis erit .  
Differ opus ; mora sœpè juvat . Declivior annus

Contrahit , autumno jam properante , dies .  
Per tamen arentes exercitus ivit arenas .

Præbebant inopes pabula rara viæ .  
Prima fames frondes , virgultaque mollia quærunt .

Qui poterat ficum carpere , dives erat .

Carduus

Carduus, urticæque graves , tribulique , rubique  
Et coria ignoto mollia facta lacu :  
Ultima, post glandes miseris alimenta fuerunt ;  
Pellebant avidam putria stagna sitim.  
Pars leto cecidere : fugæ pars terga dederunt.  
His quoque vix macies ossa perusta tegit.  
Funera movissent alios, cladesque suorum .  
Rex tamen incultis montibus urget iter .  
Sortirique ferus mandat , decimumque necari.  
Impia fatales accipit urna notas .  
Sortibus eductis, cecidit pars icta securi :  
Vitam pars, comitum morte , superstes alit.  
Quis non has epulas voluit postponere fato ?  
Hei mihi ! quam multis vota fuere mori !  
Instat adhuc cœptis, laniatâ parte suorum ,  
Dirus, inhumanis barbariorque lupis .  
Sed timuit ne forte datâ traheretur ad urnam .  
Hoc rabies uno victa timore fuit .  
At vos, quid furiæ valeant , hinc discere cautos  
Convenit: alterius dulce valere malo est.  
Hostibus elapsis , in proxima sœvit Erinnys .  
Sæpius à socio vulnus amicus habet .  
Scilicet ut nullo discrimine fulmina lœdunt ,  
Ut feriunt flammis obvia quæque suis .  
Utque trahunt magnæ nimium vicina ruinæ .  
Læsaque pars damnum proximitate tulit :  
Sic procul à cæco , moneo , procul este furore .  
Quæ manet : exitium turba propinqua feret .  
Annæum juveni conjunxerat aula Neroni .  
Illiis hic Princeps : ille magister erat .

Usus amicitię magnus; Senecamque docentem  
 Audiit; hinc mores composuitque suos.  
 Atque utinam ferros probitas mansisset in annos!  
 At mala principiis obstitit ira bonis.  
 Illa peregrinas Anneum misit in oras.  
 Hunc procul à Latio Corsica cœpit humus.  
 Quid tibi nunc virtus, preceptaque mitia prosunt?  
 Iram quid domitam legibus esse tuis?  
 Quid laudata juvat clementia? pelleris exul.  
 Officio merces redditur illa tuo.  
 Sed tamen exilio gaude, neque respice Romam.  
 Eheu! quam multum sanguinis illa biber.  
 Proximus ut quisque est, ita Cæsaris ocyus armis  
 Occidet, atque iræ victima prima cädet.  
 Te quoque, si redeas, lictoris sica cruenti  
 Balneaque humano plena cruore manent.  
 Quin etiam, ut fama est, materna cæde Tyrannus  
 Haud timuit diras commaculare manus.  
 Scrutatusque uterum, spirantibus ausus in extis  
 Quarere, delituit quo puer ante, locum.  
 I nunc, aude aliquem meritis sperare favorem,  
 Teque piis tutum moribus esse puta.  
 Quid potuit nato conjunctius esse parente?  
 Et tamen à nato vulnera mater habet.  
 Scilicet arma magis quam foedera novit, & ira  
 Ipsa patrocinii jura caduca facit.  
 Nomina Amicitiæ, Fidei, Pictatis, Amoris,  
 Barbara sunt: nec, quo se tueantur, habent.  
 Creditur hoc etiam? post fata cruenta suorum,  
 Ipse suum rupit barbarus ense latus.

Hoc

Hoc est, quod Superi contorquent denique fulmen.

Hic Jovis, Enceladus, vindicis igne jacet.  
Istos justa petit, cælo victore, Gigantes

Pœna, nec auctores deserit ira suos.

Fulmina sunt, cæcâ pressi caligine sensus:

Fulmina sunt, furiis mens agitata novis.

Fulmina sunt, actum propria in præcordia ferrum.

Hos furor eventus sanguinolentus habet.

Vindice, crede mihi, raro caruere furentes;

Casus & aut illis, aut Deus ultior adest.

Finge tamen nullo pœnæ terrore teneri:

Iraque securum præstet ab hoste latus.

Vindicibus careat furor, & dominetur inultus:

Te timeant cuncti: nullus ad arma vocet.

Quam tamen hoc miserum est, Pœnorum more leonum

Vivere, nec vacuas cædis habere manus?

Volvere terribiles oculos, semperque minari

Prælia: sollicitis omnibus ire trucem:

Fœdus amicitiae violare; odisse propinquos;

Mitia non aliquo tempore verba loqui?

Vindicta, exilium, cedes, tormenta, catene,

Occurrunt animo nocte, dieque tuorumque

Quacumque ire paras, tacito te devovet ore,

Et fugit ut rabidi vulgus ab ore lupi.

Sive lares petis ipse tuos; timuere propinquui:

Sive forum; trepidi muta figura fori est.

Curia te refugit tumidum, sociisque senator

Festinat lateri cautus abesse tuo.

Omnibus exofus, fastiditusque recedis,

Atque hilares mortis spes facit una tua.

Hæc facies rerum exterior. Crudelior intus  
 Hostis adest, animæ pax violata tuæ.  
 Terroresque, fugæque, & somnia plena tumultu,  
 Et semper pavidi, corde micante, metus.  
 Sive cibos caperet sicutus conviva Tyrannus;  
 Horruit appositis mixta venena cibis.  
 Seu peteret ludos; circum fulgentibus armis  
 Stipabat timidum densa corona latus.  
 Omnia pertimuit: barbam, tonsore remoto,  
 Quis credat natas subsecuisse patri?  
 Hæc comes it trucibus justissima poena Tyrannis,  
 Ut timeant jugulo tela parata suo.  
 Ipse sibi est animus tortor; sincera voluptas  
 Exulat, & nusquam candida tota venit.  
 Qui nocuit reliquis, qui foedera sanguine rupit,  
 Cogitur exemplis anxius esse suis.  
 Cur lupus, & sævi condunt se montibus ursi,  
 Audet in humanos agna venire sinus?  
 Nempe quod hæc mitis: noceant mortalibus illi:  
 Hæc sit pacis amans: hi fera bella gerant.  
 Respice pallentem fraterna cæde Cainum,  
 Ut procul à patrio cogitur ire lare!  
 Quò scelerate fugis? quid devius orbe vagaris?  
 Non poteris furias effugere ipse tuas.  
 Te licet occulto tellus tegat ima recessu:  
 Hostis, qui timidum terreat, intus erit,  
 Cetera prætero nocituri damna furoris.  
 Ingenio lector concipe plura meo.  
 Adjice, quæ proprio doluisti doctus ab usu.  
 Quisque sibi testis candidus esse solet.  
 Quò melius morbos animi perspexeris ægri,  
 Fortior hoc prisci vulneris ultor eris.

DE

# DE IRA LIBER III.

## REMEDIUM IRÆ.



Emina cum causis , & damna secuta furorem,  
Materies numeris bina fuere meis.  
Jam medicina juvet; ja vulnera tollere tempus;  
Jam melior partes Musa, medentis age.  
Si potuit vetiti quondam Praeceptor amoris ,  
Quod cecinit , serò velle perislet opus :  
Quosque Cupidineis male sparserat artibus ignes ,  
Utiliter fusis obruit auctor aquis :  
Cur ego non alios tentem superare furores ?  
An minus Idaliis ignibus Ira nocet ?  
Illa tamen monstris caput altius omnibus effert ,  
Illa ferox nostro sanguine bella gerit :  
Cumque pigro serpent contagia cetera morbo ,  
Emicat , & nullas fert violenta moras .  
Pugna gravis superest . Procul hinc discedite inertes .  
Hostibus à magnis gloria magna venit .  
Jam litui sonuere : vocor ducturus in hostem  
Agmina . Quisquis ades , corripe tela manu .  
Ecce subit stygiis egressa paludibus ardens  
Bellua , vipereas Ira soluta comas .  
Neve parum possis cognoscere , respice vultum :  
Dimidium palmae , cognitus hostis , erit .  
Quò fugis ? Haud animum timeas firmare tuendo .  
Tota sub aspectus Ira vocanda tuos .  
Igne micant oculi , turgent suffusa veneno  
Pectora , mugitu guttur & ora sonant .

Spuma cavos, saniesque pererrat candida rictus,  
 Formaque nescio quid grande minantis habet.  
 Huic comes it socio properans Infania paſſu,  
 Et regit incertæ ſola tororis iter.  
 Subſequitur Vindicta, neceſque & vulnera ſpirans,  
 Evomit in Superos impia verba Deos.  
 Hanc circum volitant Furiæ; quas, torva flagello,  
 Increpat, & ſtimulis Ira valere facit.  
 Captā ſubit Ratio, manibus post terga retortis;  
 Et trahitur ſcissis Pax violata comis.  
 Læſaque Amicitia, & contemptis legibus Aequum,  
 Et Decor, & dura compede vincit Fides.  
 Ecce, velut torrens pluvialibus auctus ab Hœdis,  
 Devia, nec certis finibus, Ira ruit.  
 Quâ properat, proſternit agros, & gramina vellit,  
 Ultricique ferit ſtantia laxa manu.  
 Non, stimulante fame, ſic infremuere leones,  
 Antraque præcipiti deferuere fuga:  
 Nec ſic, quem telo vexat gladiotor Ibero,  
 Taurus, ab excuſâ cornua jactat humo:  
 Ut fremit & trepidis regionibus Ira minatur,  
 Longaque, ſubmoto fœdere, bella movet.  
 Prima fuit rabidum cognoscere cura furorem;  
 Proxima, quâ monſtrum parte dometur, erit.  
 Si quid opis montes, ſi quid Parnassia tempe,  
 Si quid habent citharæ, Phœbe canore,  
 Graminaque Aonidum rorantibus uda ſub antris,  
 Pegaseaque fugax vena ſalubris aquæ:  
 Omnia nunc vires, ad opem, conjungite veſtras.  
 Non tenui magnum vincitur arte malum.

Et

Et tibi sunt arcus, & sunt tibi, Phœbe, sagittæ,  
 Jonio constat quas valuisse mari.  
 Pythius & spiris nequuit vitare pharetram  
     Anguis, & hæc dextræ gloria prima fuit.  
 Adjice præteritæ monumenta recentia laudi,  
     Hæc nova præsidio bella gerenda tuo.  
 Delphica victoris prætexam templa coronâ,  
     Addet & ad festos hunc quoque Musa diem.  
 Hæc ego: stridorem visa est levis aura dedisse:  
     Ante oculos Phœbus (non ego fallor) erat.  
 Non tamen ex humeris habilem suspenderat arcum,  
     Tela quoque in vacuâ nulla fuere manu.  
 Sed citharam aridens digitis aptabat eburnam,  
     Atque ait; auspiciis concidet Ira meis.  
 Illa tamen nullis madefiet faucia telis,  
     Nec feret optatam nervus, & arcus opem.  
 Cantus opem feret hanc; citharæque potentior ictus,  
     Quam pharetræ, longè tela vibrantis, erit.  
 Sit truculenta licet, fœtâque ferocior Hydrâ,  
     Scilicet obsequio carminis Ira cadet.  
 Æripedes olim domuerunt carmina tauros,  
     Hospes ut auratae vellera vexit ovis.  
 Non erat aut galeâ, aut clypeo sat tutus Jafon,  
     Sat tamen Æsonides carmine tutus erat.  
 Carmine sopivit vigilem Medea Draconiem,  
     Qui poterat squamis vertere tela suis.  
 Disce, novi vates operis, sine vulneris ictu,  
     Pieriis Iram perdomuisse sonis.  
 Non ego te Hemoniæ contundere noxia tetræ  
     Gramina, non jubeo Phasidos arva sequi.

Nulla beneficiis ponetur inanibus Ira;  
 Innocui Phœbus carminis auctor adest.  
 Dixerat: Aonio leviter mea tempora ramo  
     Contigit, & celeri cessit in astra viâ.  
 Ergo age, quisquis ades, veteris quem pœnitet ira;  
     Qui cuperes turpi liber abire jugo:  
 Quem desiderium pulcræ tenet acre salutis;  
     Votaque non omni languida parte jacent:  
 Ne pereas, pestisque malo dominante perennet,  
     Accipe præceptis commoda certa meis.  
 Opprime, dum nova sunt, vivacis sulfura flammæ.  
     Maxima sunt tardæ damna futura moræ.  
 Vidi ego succensis affundi flumina tectis;  
     Flamma recens modicâ victa dehiscit aquâ.  
 Exiguo de fonte patens enascitur amnis,  
     Virgaque, non longo tempore, robur habet.  
 Credere quis possit quercum de semine jacto  
     Surgere; quis Nilum fonte venire putet?  
 Et tamen hæc latos jam porrigit æthere ramos,  
     Ille fluit septem conspiciens aquis.  
 Utque novum veteri melius sanabile vulnus,  
     Sic Iræ melior cura recentis erit.  
 Omnia principiis minimo curantur: at hora  
     Longior, est vitiis vulneribusque gravis.  
 Pectora cum primo fuerint agitata furore,  
     Si sapis, haud celerem ferre moreris opem.  
 Excutis intactâ nocitaram veste favillam:  
     An minor est animi cura futura tibi?  
 Ah! miser, ignoras, in quanta incendia crescat,  
     Obruta ni primis motibus Ira cadit.

Virus

Virus ab exiguo paulatim in viscera morsu  
Serpit, & exitium læsa medulla trahit.  
Prima sit infirmos igitur superare furores  
Cura, novus quisquis miles ad arma venis.  
Cum benè pacati ceciderunt pectoris æstus,  
Effice ne fragili stet tibi palma loco.  
Ne repetat pugnam, victus modò, fortior hostis;  
Militiae faciet dexterioris opus.  
Admonitu redit ira levi: si sulfure tangis,  
Vivet: habet flammæ semina certa cinis.  
Tu cave, quæ primùm læserunt, mente revolvias,  
Immeritum nec te multa tulisse putas.  
Nec tibi dissidii causas, tempusque, locumque,  
Nec tibi quæ fuerint verba, modumque refer.  
Mens aliò vertenda nocens. Quid imagine gaudes?  
Transit in affectus ista figura malos.  
Nec tibi sit mores, nec sit tibi facta notare  
Alterius, qui te læserit antè, labor.  
Ut referas tibi vera, tamen magis illa nocebunt:  
Alterius culpa est causa futura tuæ.  
Non comites audi, raro meliora monentes,  
Vix aliquis partes conciliantis aget.  
Non tu consilii prætexas jura petendi;  
Has male per rimas callida flamma subit.  
Omnia lethœ sunt perfundenda liquore:  
Palmam, qui poterit non memor esse, feret.  
Atque ut plena tuis maneat victoria castris,  
Tutus & ex omni parte triumphus eat:  
Ne pigeat propriis oculos advertere factis;  
Eripiat totos hæc tibi cura dies.

Tu tibi sis judex, in te tibi collige testes;  
 Teque reum, quamvis non eris, esse puta.  
 Si bene te damnas, si causam litis obortæ  
 In tua convertis crimina, salvus eris.  
 Debita præcipue est annis vigilantia primis,  
 Ut pater officii sit memor usque sibi.  
 Sedulus exploret mentes, fingatque tenellas,  
 Radicisque malæ germina prima secet.  
 Parvus, & in cunis, vicit Tyrinthius angues:  
 Quis credat teneras hoc valuisse manus?  
 Post tamen & fulvos fertur superasse leones,  
 Atque humeris cælum grande pepondit onus.  
 Mollibus ex annis spes est censenda futuri.  
 Nobile depositum cura parentis habet.  
 Moribus invigilet pueri pater, & bona nutrix,  
 Venturique doment semen inerme mali.  
 Sæpè animos juvat imperio tentare paterno,  
 Interdum & studio, quæ rogat ille, nega.  
 Pœnaque nascentes iras moderata sequatur.  
 Deficiet curâ prima favilla tuâ.  
 Cura, rudes virgas recto consurgere truncò,  
 Spemque bonæ dominum messis habere, facit:  
 Vitibus & steriles detondet Cura racemos.  
 Luxuriat brevibus plenius uva comis.  
 Cura facit, dominis catulos parere leonum.  
 Difficilè est canis iussa dedisse lupis.  
 Si tamen antiqui valuerunt semina morbi,  
 Et furor in capto pectore regna tenet.  
 Non ego te, quamvis valido pugnabitur hoste,  
 Immemorem palmae ponere tela velim.

Desperare

Desperare nefas. Timidis victoria numquam  
 Risit , & ignavas effugit illa manus .  
 Dum favet ; & nulli turbant præcordia motus ;  
 Dum tibi tranquillæ tempora pacis eunt :  
 Collige venturæ medicamina providus iræ .  
 Me duce, non ullum tempus abibit iners .  
 Optima prævertit morbum medicina futurum .  
 Anticipa : tardam quis roget æger opem ?  
 Præcipue cum liber eris , curisque solutus ;  
 Quéis ferias hostem , sedulus arma para .  
 Quæris ubi invenias ? Plutarchi peilege libros ,  
 Nec tibi sit Senecam consiluisse labor .  
 Cautus eris lectis , milesque paratior, illis :  
 Hi tibi , quod fugias, quodque sequare , dabunt .  
 Quis vetet & nostros vacuum legisse libellos ?  
 Forsan & hic aliquid , quod juvet , esse potest .  
 Tu , cum sanus eris , menti modò singula sanæ  
 Infere : præsidium , cum subit Ira , dabunt .  
 Improvisa magis feriunt mala : mensque, periclo  
 Anxia præsenti , consiliumque fugit .  
 Cum furor invasit , serò præcepta petentur  
 Mitia ; quod faceres , antè docendus eras .  
 Te nunc Ira rudem , te nunc deprendet inermem ,  
 Vulneribusque tuis pectora nuda dabis .  
 Ecquis equo , volucri quando ruit ocyor aurâ ,  
 Vincula tum primum , frænaque sera paret ?  
 Tunc decuit , cum mitis erat ; cum carcere clausus  
 Præbebat facilis colla premenda manu .  
 Nunc vagus effræni fertur per devia saltu ;  
 Nec pondus , domini verba monentis habent .

Ecce

## 48 REMEDIUM IRÆ.

Ecce premit muros densis exercitus armis,  
Obsidet & clausum pervigil hostis iter:  
Stulte quid annonam medios inferre per hostes,  
Præsidiumque tibi latus, & arma paras?  
Pacis opus fuit hoc. Quid inertia tempora damnas?  
Tradentur ducibus mœnia victa novis.  
Tu quoque venturæ victor domineris ut iræ,  
In promptu galeam, scutaque miles habe.  
Tu quoque fræna para: frænis fera monstra domantur.  
Principium cladis libera colla dabunt.  
Pessima libertas animis, ut pessima ponto:  
Utraque res vinclis impedienda suis.  
Provida litoribus natura coercuit æquor.  
Litora si desint, omnia pontus erunt.  
Deucalioneæ testantur tempora Pyrrhæ:  
Terra superfusis nulla patebat aquis.  
Mens pelago similis: res utraque plena procellis:  
Et suus est animis, & suus æstus aquis.  
Litora quid dubitas rapidæ circumdare menti?  
Injice veloci vincula fessor equo.  
Et tamen ut mentes variant, variabimus artem:  
Non quæcumque tibi vincla, sed apta, para.  
Fræna quidem Phaëton, sed non tamen apta tenebat:  
Eois cecidit non minus ille rotis.  
Quæ medicina juvar reliquos, tibi sumpta nocebit.  
Noscenda est morbi vis, & origo tui.  
Nota tibi sensim tua sint mala: seu tibi fastus,  
Seu stimulus Iræ subdere vina solent.  
Sive dolor, minimique nocent incommoda morbi,  
Curare difficilem, non moderata, facit.

Seu

Seu te libertas linguæ , fandi que cupido  
Abripit , & pacis jura fovere vetat .  
Sive cupis sapiens aliis , prudensque videri ,  
Debeat ut sensus quisque probare tuos .  
Exploranda mali sunt semina . Tum tibi leges  
Scribere , tum menti ponere jura decet .  
Ebrietas nocuit ? facito convivia vites .  
Dissidium peperit lubrica lingua ? file .  
Da requiem curis , si sis morosus ab illis :  
Da ludo , si quæ crimina ludus habet .  
Denique quidcumque est , animum quod læserit ægrum ,  
Hac miser , ut valeas , parte juvandus eris .  
Pauca , sed è multis aptissima felige : nec te  
Propositis onera : ne grave fidat onus .  
Proximus huic labor est , tibi quæ satis apta putabis ,  
Singula ab eventu velle probare suo .  
Crede mihi , faciet non sola scientia sanum .  
Scire licet multis : qui facit , ille valet .  
Plus tibi dat longis brevis experientia votis .  
Hæc juvat , inque animos altius ire solet .  
Certius ille minas , & saxa latentia ponti  
Vitat , qui dubiâ sæpè cucurrit aquâ .  
Ille valet multo bellorum interritus uisu  
Miles ; sub galeâ quem se nuisse vides .  
Segnities superanda tibi est . Jam profluit hostis ;  
Scuta cape , & validâ tela repelle manu .  
Scilicet hærebis primos ad pectoris æstus ,  
Et cupies animo posse favere tuo .  
Et tibi vindictæ succurrent mille figuræ ,  
Et fræni impatiens , pacis & ofor eris .

G

At

At nisi præceptis accesserit usus honestis,  
Utilius fuerat nil didicisse tibi.  
Turpius ille cedit, qui, cum divertere possit,  
Saxa suum prudens lædit ad icta pedem.  
Æger es, & morbi præsens medicina paratur,  
Quôque malum possis tollere, succus adest.  
Quid tibi profuerit lecto vicina reponi  
Pocula, quæ trepido languidus ore fugis?  
Ut valeas, timor hic succi ponendus amari.  
Incipe: erit totus vincere prima labor.  
Aspicis ut solvunt patrio de litore classem,  
Omnis in officio nautica turba suo est.  
Cárbara pars tollunt; pars pendula funibus errant:  
Hic celer obliqui summa rudentis adit.  
Portubus egressi nautæ per transtra quiescunt.  
Quod superest: navem ventus, & unda feret.  
Principiis labor omnis inest. Enitere clivo  
Culminis exigui: cætera prona via est.  
Ergo abi trux animus veteres meditabitur iras,  
Incipe propositis addere facta tuis.  
Viribus hic opus est; hic ô fortissime certa:  
Difficilis parvæ pugna futura moræ.  
Mox tibi prætendet viætoria læta coronam,  
Inque tuum venient laurea ferta caput.  
Et juvat exemplis animum stimulare priorum,  
Iræ qui dominos imposuere pedes.  
Respice Socraticæ monumenta perennia vitæ.  
His tibi de tenebris pars quoque lucis adest.  
Nulla cui in toto fuerant commercia cælo,  
Nec satis æthereâ notus ab arce Deus.

Dicitur

Dicitur ille tamen , quoties præsenserat iram ,

Verba levi solitus fracta referre tono .

Dicitur & pressis gestus breviasse lacertis ,

Et modico passus corripuisse gradu .

Lumina quin etiam blando ridentia vultu ,

Oraque compositæ simplicitatis erant .

Ipse Decor placidâ sensu statione tenebat ,

Ipse Decor pulchro membra coacta situ .

Artibus his primo cecidit furor irritus ortu .

Artibus his victor quilibet esse potest .

Scilicet emoritur , cui non datur exitus , ignis ,

Flammaque , concluso carcere , prima perit .

Non tamen his semper monitis parere juvabit .

Sæpè habet eventus ira represia malos .

Ipse vides magnos agitari sulfure montes ,

Et validas turres flamma sepulta movet .

Si minor est ; conclude , perit : si maximus ignis ;

Liber ab effracto carcere victor abit .

Ipse levem poteris pariter superare furorem ,

Vincere & invalidi semina prima mali .

Acrior exarsit solito , atque exæstuat intus ?

Ille furor verbis emoderandus erit .

Non solet à magno subito subsidere vento

Fluctus ; erit positâ lenior ille morâ .

Ergo ubi deprendes totis ardere medullis

Pectora , da morbo tempora parva tuo .

Tempore commotæ vis frangitur orta procellæ ,

Sistitur indomiti tempore cursus equi .

Tempore quis nescit sævas mitescere Tigres ,

Et juga paulatim ferre molesta boves ?

## 52 REMEDIUM IRÆ

Tempore te requiem jubeo sperare furoris:

Maxima per vires concidet ira suas.

Hæc etiam est artis non cura novissima nostræ,

Ne celer ad pœnas, quas dabit alter, eas.

Lentius ab offensâ crimen punire memento.

Vindictæ spatum, cum subit ira, dabis.

Nam ferulâ, vultuque minax, & more furentis,

Alterius culpæ turpiter ultior eris.

Utilitas factum suadet memorare Platonis,

Cujus ab ingenio Græcia nomen habet.

Percussurus erat famuli data terga merentis,

Sustuleratque avidâ lora parata manu:

Substtitit, ut sensit motas violentius iras,

Formaque ceu domini percutientis erat.

Dum reus expectat pœnas, vindexque minatur;

Dum mora fit: vires fregerat ira suas.

O! quantum ulturo nocet indulgere furori!

Crede mihi, vindex non moderatus eris.

Crescit, & egreditur fines properata decori,

Iraque supplicii nescit habere modum.

Exiguum est, quod amice rogo. Non sumere pœnas

Te veto: quid modici temporis hora nocet?

Differ opus: lentè properat vindicta Deorum,

Nec veniunt celeri fulmina missâ manu.

Æquior ad pœnam, judexque paratior ibis,

Pectora cum cæco tota furore vacant.

Grande moræ pretium: justâ pendentia lance

Crimina supplicium, quod meruere, ferent.

Offensæ tamen interdum vindicta negetur.

Sæpè rei culpam dissimulasse juvat.

Sæpius

Sæpius & veniam facilis concede roganti.

Tunc quoque concedes , cum rogat ille nihil.  
Utque malus perstet , pergitque lacerare dictis ,

Tu tamen excusans mollia verba dabis .

Ardua res , fateor , verbis quoque mitibus uti :

Forsitan hinc artes corripiensque meas .

Si sapies , sint dura licet , præcepta sequeris .

Ferre solet certam potus amarus opem .

Lacte leves morbi , & succo meliore juvantur ,

Vulnus & exiguum fascia mollis obit .

At quoties imæ vitium traxere medullæ ;

Ut valeas , ferri durior usus aget .

Saucius & sectis patieris partibus ignem ,

Et medici duras esse querere manus .

At tibi , quicumque es , dominæ qui subditus iræ

Servis , & longi temporis æger ades :

Non tua sunt tenui leviter percussa sagittæ

Pectora ; descendit vulnus ad osla tuum .

Cura grayis supereft. Phœbo parete medenti

Tolletur medicâ carminis arte malum .

Carmine Jessides Regem placasse furentem

Dicitur , & cantu demeruisse suo .

Sustulerat validis quatiendam viribus hastam .

Ut canit , oblita decidit hasta manu .

Ergo ubi læsus eris , ne te malus auferat ardor ,

Et cita vindictam concitet ira , cave .

Vel tu dissimula , si clam peccaverit alter ;

Vel pius ignoscas crimina facta palam .

Nil tibi decedet ; facto laudaberis isto .

Accedet famæ gloria magna tuæ .

## 54 REMEDIUM IRÆ

Mascula vis animi surgentes tuta procellas  
Audit; & ignavum, parcere nolle, putat.  
Imperturbata felix constantia mentis  
A Superis, Divum munere, missa venit.  
Forsitan hoc curas, ne prava licentia crescat?  
Ne capiat vires libera culpa novas?  
Scilicet errores fovet indulgentia: nec te  
Vindictæ studium; sed bonus ardor agit.  
Hæc cave ne species, & amor te fallat honesti.  
Virtutis, vitium, sæpè colore venit.  
Celat auaritiam, qui prodigus esse veretur:  
Fit petulans, si quis rusticus esse timet.  
A vicio tenui distat discrimine virtus.  
Fallit, & arbitrio res eget illa gravi.  
Dic mihi, quid solers aliena pericula curas?  
Ad tua sollicitas vulnera verte manus.  
Cum tibi parta salus, cum te curaveris ipse,  
Alterius tutò causa salutis eris.  
Nunc tibi, quod vincas in te, convitia præstant.  
Materies palmæ culpa aliena tuæ est.  
Ni facis, ista tuæ velamina callidus iræ  
Addis, & ad flammarum pabula cæca paras.  
Et poteris validâ mentem ratione tueri:  
Calliope cæcum non tibi monstrat iter.  
Tu modo quas artes Musæ, quas dictat Apollo,  
Ne sine veliferos per freta ferre Notos.  
Vel senior, vel par, annisve minoribus impar  
Hic, aliquo qui te crimine lædit, erit.  
Si minor est; major congressus sperne minores,  
Victraque contemptu turba sit ima tuo.

Jupiter

Jupiter & turre, & montes percutit altos;  
Prætereunt humiles fulmina celsa casas.  
Aspice nobilium certamina lenta leonum,  
Detractant magnæ bella minora feræ.  
Securas venit acris equi latratus ad aures,  
Ungulaque immissos non ferit unca canes.  
His licet exemplis convitia vana minorum  
Spernere : te gravitas, quæ tueatur, erit.  
Parcere nec dubita ſenior juvenilibus annis:  
Ætatis memorem te decet esse tuæ.  
Turpè ſenem verbis contendere : parce moveri:  
Non levitas canis convenit illa tuis.  
Si matura tamen juvenem te corripit ætas,  
Perfer : habent anni jura minora tui.  
Seu meritis annisque pares ad bella coitis;  
Accipe, quâ ſuperes fortior arte parem.  
Major eris, modo cede prior: qui vincitur irâ,  
Deterior vitio redditur ille ſuo.  
Sic tibi, quisquis erit verbis mordacibus uſus,  
Ad veniam, facilem monſtrat Apollo viam.  
Eſto reis facilis; prodeſt favor ille duobus:  
Ipſe tui victor, victor & hostis eris.  
Ille graves fuerat qui prorupturus in iras,  
Exemplo diſcret mitior eſſe tuo.  
Utile conſilium, teloque potentius omni;  
Obsequio mentes flectere velle feras.  
Rupibus, impulſo mucrone, recanduit ignis:  
Mollibus in lanis iectus inanis erit.  
Aspicis ut ſtimulis ſonipes vexatus acutis  
Per juga ſefforem, per cava ſaxa ferat?

Idem

## 56 REMEDIUN IRÆ

Idem deduētā per colla ferocia palmā  
Substitit, & domino paruit ille suo.  
Parva juvant. Hostem blando prior ore saluta,  
Viceris: extinctas sentiet ille faces.  
Sæpè nocens longos odium tenuisset in annos:  
Principium pacis causa minuta dedit.  
Fac possis tria verba loqui, sint mixta querelis  
Illa licet: verbis conciliatur amor.  
Obdurant animos inimica silentia: nec jam  
Quà subeant furtim fœdera, rima patet.  
Effice jucundo pereat discordia risu,  
Redde propinanti dulcia vina manu.  
Proderit atque animi sensus, irasque fateri;  
Non etiam causas exposuisse veto.  
Asperitas absit tantum, similisque dolenti  
Objice, quæ verbis diluat ille suis.  
Ut benè se purget, de te quoque pauca queretur,  
Et referet rixæ verba molesta tuæ.  
Læsus uterque fuit? veniam concedet uterque  
Pronius; ad pacem mutua culpa facit.  
Tardius ignoscet, qui totum crimen in hostem  
Conjicit; errores dissimulatque suos.  
Irasci se jure putat, quem læserit alter  
Immeritum: ipse tibi fac videare nocens.  
Ira reum te sola facit; si cetera desint,  
Indicium culpæ est hæc satis una tuæ.  
Hæc meruit pœnas: in te licet esse severo:  
Quæ fuit, ultrices sentiat ira manus.  
Hoc genus, hoc studium vindictæ suadet Apollo.  
Dii faciant vindictæ strenuus esse velis!

Quilibet

Quilibet ex facili est alieni criminis ultor;  
Qui sua sustineat plectere , rarus erit.  
Et tamen irato pœnæ tibi proderit usus .  
Cautos pœna reos , ne recidantque , facit .  
Longius errantes , procul & venatibus actos ,  
Ire docet gyro , pœna , minore canes .  
Hæc duræ cervicis equum , quondamque rebellem ,  
Arbitrio domini fræna tenentis agit .  
Sit moderata tamen , neque culpam limite lato  
Transvolet : immodico multa rigore nocent .  
Quæ poteras succis , curas malè vulnera flammis .  
Viribus , & culpæ pœna sit æqua tuæ .  
Quem teneas , tibi Musa modum justissima monstrat .  
Non ego te flagris terga notare velim .  
Nuda nec excussis moneo contundere pugnis .  
Pectora , nec duro lædere poste caput .  
Suppositove breves somnos corrumpere faxo ,  
Nec caput immundis spargere pulveribus .  
Mitius ingenium Musis . Tu vespere sero  
Antè oculos censor facta diurna refer .  
Tum tibi succurrat numerum censere furoris ,  
Sævierit quoties ira , quibusque modis .  
Nec lacrymæ desint ; sed conscientia sidera fletis  
Aspiciant vigiles immaduisse genas .  
Pallidaque austerus subeas jejunia vindex ,  
Et poterit miseram lympha levare fitim .  
Si fortuna sinet , stipem largire roganti ,  
Et tua munificâ crimina plecte manu .  
Proderit ambobus pœna hæc , inopique , tibique ;  
Cautior ære dato : ditior alter erit .

H

Hac

## 58 REMEDIUM IRÆ.

Hac tibi præteritus ratione piabitur error.

Suppicio sensim concidet ira tuo.

Aspicis incultâ tribulos exsurgere glebâ;

Terra bonas messes vomere læsa dedit.

Hic labor agricolis. Animi tibi cura colendi

Contigit : ingenii nobilioris opus.

Surgit & hic spinis furor enutritus acutis,

Pectoribusque tuis tetra venena virent.

Incute, quid dubitas ? radicibus incute ferrum.

Perdenda est forti messis iniqua manu.

Quantum animo parcis , pœnasque subire recusas ;

Tantò radices altius ira jacit.

Hic juvat immitem , juvat ô ! juvat esse severum !

Si sapis, hic Minos , hic Rhadamanthus eris.

Quòque magis valeas , tetræ mala plurima pestis,

Damnaque erunt animo cuncta videnda tuo.

Improbis immerito furor insultavit amico,

Et memini æternos me violasse Deos.

Nec timuit furibunda manus propellere mensam,

Et cava sunt tumidâ pocula jaëta manu.

Causa quoque ambigui nuper fuit ira duelli,

Paxque mihi fuso sera cruento stetit.

Adde graves morbos , & ruptas sanguine venas,

Utque fero restet nullus in ore color.

Dii faciant ! mediâ speculum tibi detur in irâ.

Gorgonis anguicomæ forma futura tua est .}

Hæc tot damna pati miseris placet ? heu ! grave sœvæ

Servitium dominæ, quam bona nulla juvant !

Dulcius est servasse fidem , coluisse propinquos ,

Tempora jucundis ducere blanda jocis:

Pace

# LIBER III. 59

Pace frui; qua non superis formosior oris  
 Est Dea, nec cupido gratior ulla mihi.  
 Hæc mihi contingat; non conchas litoris Indi;  
 Non querar exiguo marmor abesse lare.  
 Me mea paupertas suprà Regumque triumphos,  
 Sublimemque super sceptræ cruenta feret.  
 At vos purpurei multo jam sanguine Reges,  
 Noxia perpetuâ claudite bella serâ.  
 Nutibus à vestris felicia sœcula pendent.  
 Nil, dare quod possint, Numinæ majus habent.  
 Pace data, nostris fugient quoque cordibus iræ.  
 Hac ego vos tantum conditione rogo.  
 Fallor? an à dextro Concordia risit Olympo,  
 Paxque coronatas constituit ante fores?  
 Lite vacent aures, inimicaque jurgia cessent:  
 Pectoribus fidus vincula nectat Amor.  
 Pulsa Fides redeat, redeant Æquumque, Pudorque,  
 Ferrea cum vestris bella valete tubis.  
 Fœdera qui rupturus ades, procul exul agaris;  
 Inter & infames sit tibi rixa lupos.  
 Hoc tu supplicium refugis? data fœdera serva.  
 Artibus hoc nostris posse docendus eris.  
 Forsitan incautus verbo te lædet amicus,  
 Poscentive citam ferre negabit opem?  
 Crede gravem subitâ curarum mole teneri,  
 Nec cupidum rebus posse vacare tuis.  
 Utque vacet; certè mentis, vel corporis ægri  
 Hunc aliquâ læsum parte dolere, puta.  
 Atque priora refer tibi quæ benefacta, tuisque  
 Contulit: hæc memori mente tenere decet.

## 60 REMEDIUM IRÆ

Tot bona delicto vilescit turpiter uno,  
Culpa recens ob quæ dissimulanda fuit.  
Quis furor est , rigido pomaria ladedere ferro,  
Unus si vacuus fructibus annus eat?  
Tot prius Autumnis curvis pendentia ramis  
Legisti facili grandia poma manu:  
Et tibi larga Ceres fœcundis munera glebis,  
Exhaustoque dedit pinguis grana sinu.  
Horrea cum multas cepere capacia messes,  
Da requiem feso , dure colone , solo.  
Ni facis , ingratus , meritòque voceris avarus ,  
Quæque prius data sunt , perdere dignus eras.  
Lancibus hæc librasse decet. Quis crimine in uno ,  
Si quod erat , culpam dissimulasse neget?  
Si numerent alii factorum errata tuorum ,  
Moribus invenient plura notanda tuis.  
Munera si numerent , quæ tu concesseris illis ,  
Invenient parcæ non data multa manu.  
Christiadum hæc populis canimus. Si Ressus , & atræ  
Parthus amans cædis negligat ista , feram .  
Fas mihi conjugibus certas quoque ponere leges.  
Postremum hoc vati Musa secundet iter.  
Vos ô ! conjuncti vinclo propiore parentes ,  
Vivite concordi fæmina , virque thoro.  
Fœdus in æternum quondam venistis amantes ;  
Transeat ad canas pax , sine lite , comas .  
Et tibi si qua loquax , linguæque volubilis uxor  
Contigit , ignoscas ; rara filere potest.  
Non tibi contingit soli ; communia sexus .  
Crimina non cautæ garrulitatis habet .

Hoc

Hoc illis natura dedit , studiumque regendæ  
Prolis , & ornandæ cetera cura domūs .  
Vos decet hæc tolerare viri , neque ducere magni .  
Diluite apposito verba molesta mero .  
Sunt fora , sunt comites , sunt & commercia vobis  
Publica , sunt patrii pinguia rura soli .  
Aut vos venandi studium , studiumve colendi  
Ruris habet , longæ gaudia blanda moræ .  
Pars quota vos horum patitur coluisse penates ?  
Nempè graves curas otia mixta levant .  
Uxor sola lares , semperque domestica servans  
Limina , privatis sedula rebus adest .  
Illam sollicitæ circumstant undique curæ ,  
Et semper causas , undè queratur , habet .  
Si tamen illa viro fuerit morosior equo ,  
Nec potuit linguæ frēna tenere suæ :  
Non ego propterea furibundum torva minari  
Prælia , nec manibus bella moyere velim .  
Quisque suam norit ; variis juvat artibus uti .  
Femina non uno quæque regenda modo .  
Sæpè levi pacem poteris componere risu :  
Sæpè supercilios concilianda venit .  
Proderit & simulare iram , simulata juvabit ;  
Concidet ad fastus garrula lingua tuos .  
Aut hac , aut aliâ pax est revocabilis arte .  
Hac tibi , conjugii , lege subitur onus .  
Quod si fortè truci mulier malè juncta marito es ;  
Accipe non dubiam vera monentis opem .  
Nulla quidem vobis Latiae commercia linguæ ;  
Qui tamen hæc cupidis reddat , amicus erit ,

## 62 REMEDIUM IRÆ

Ingenium, moresque viri cognoscere nuptæ  
 Cura sit, & cautè tempora quæque notet.  
 Quid placet, lædatque virum; quæ ~~casa~~ furentem  
 Incitet, orta quibus vel cadat ira modis.  
 Venerit ille foro successu tristis inani;  
 Tu quoque, successu res caruisse, dole.  
 At si lœta redux narraverit, annue lœtis,  
 Nec dubita vultu gaudia ferre tuo.  
 Huic caput, aut subitâ doluerunt pectora tussi?  
 Fac tua sollicitus contrahat ora timor.  
 Vespere forsitan abest solitâ tibi tardior horâ?  
 Quis labor est parvæ tædia ferre moræ?  
 Penelope lentum, tamen expectavit Ulyssem,  
 Dicitur & reditu lœta fuisse viri.  
 Ille quidem fertur lustris errasse duobus,  
 Lapsaque jam totidem tempora Martis erant.  
 Te querulam facient dilatæ tempora cœnæ,  
 Debeat ut rugas ille videre tuas?  
 Quid? quod & invitus, sic re-eogente, moratur?  
 Quid? quod amicitiae lege coactus abest?  
 Esse potest justæ, fateor, tibi causa querelæ,  
 Si nocturna malus tempora lusor agat.  
 Ebria si multo referat vestigia Baccho,  
 Neglectæ ut veniat certa ruina domûs.  
 Limine si tamen hæc absunt incommoda vestro,  
 Cauta leves culpas dissimulare potes.  
 Dii facerent nuptis prudentia major adesset!  
 Sentirent faciles in sua vota viros.  
 Carpere disce tui non omnia facta mariti,  
 Pax erit, & totâ prælia nulla domo,

Quæritis

Queritis Andromachen cur miles amaverit Hector?  
Ceperat hæc mira calliditate virum.  
Ille ferox Denaos quoties properabat in hostes,  
Cervici galeam quæ daret, uxor erat.  
Illa leves justo ponebat in ordine cristas,  
Aureaque adstantis fræna tenebat equi.  
Ominaque adjiciens felicis prospera pugnæ,  
Placabat patrios thure, meroque Deos.  
Sive redux cesso referebat ad hoste triumphum,  
Victori conjux exuit arma viro.  
Multaque de ratibus, magnoque rogabat Achille,  
Ut fuerit primo classis adusta salo.  
Quid faceret Pyrrhus, quibus & Menelaus in armis  
Imbelli dederit mollia terga fugæ.  
Bellaque laudabat victoris & arma mariti.  
Hectoris hac potuit pectus ab arte capi.  
Andromache est imitanda tibi; placituraque mores  
Cauta viri, referas moribus ipsa tuis.  
Gaudet amor simili: neque nigris candida corvis  
Pectora formosus jungere curat olor.  
Vos quoque conjugii communia pignora fratres,  
Cognati memores sanguinis esse decet.  
Ut pugnent alii, certè vos fœdera jungunt  
Arctius, & nodo corda potente ligant.  
Vivitis ex unâ duplices velut arbore rami,  
Unaque vos radix, succus & unus alit.  
Vos decet, ex utero genuit quos mater eodem,  
Fructibus ut rami, moribus esse pares.  
Nec violata prius, nec adultera vos tulit arbor  
Degeneres; & fraus infitionis abest.

Vivite

Vivite sic, ut ne pigeat genuisse parentes,  
 Et cupiant uteri pignora nulla sui.  
 Viderit ara semel discordes currere fumos:  
 Hæc vetus, & mundi rixa recentis erat.  
 Nunc tamen ut seculi fulsit melioris origo,  
 Numinis & cunas ducere cœpit Amor:  
 Cum puerum optatæ referentem tempora pacis  
 Sidera miserunt; lata recepit humus:  
 Barbatus an quisquam renovati fœdera mundi  
 Negligat, & gladios durus & arma paret?  
 Ecquis erit, cunis qui non mansuetat ab illis,  
 Vincere quem nequeat blandus amore puer?  
 Crediderim huic duris flices pendere medullis,  
 Pectora nec ferri mole carere reor.  
 Illum aut ignotis nutrix lupa protulit antris,  
 Aut natum è scopolis expulit unda suis.  
 At vos Christiadæ faltem morientis amorem  
 Cernite: pro vobis nobile pendet onus.  
 Ille cruor rupti lateris de fonte volutus,  
 Pacem, quâ nihil est dulcius orbe, rogat.  
 Ille inimicitias, odiique extinguere flamas  
 Admonet, & miti pectus amore trahi.  
 Et movet exemplo, meritamque latronibus iram  
 Ponit, & errorem crimina tanta vocat.  
 Quòque magis causam morienti voce peroret,  
 Suspicit, & Patrem lingua suprema vocat.  
 Care Pater, populo veniam concede furenti;  
 Me petat, inque meum detonet ira caput.  
 En ego vindictæque lubens, pœnisque reservor,  
 Alpicis hinc pretium sanguinis ire mei.

Dixit,

Dixit , & inclinans humeris caput , ultima mundo ,  
 Plenaque divino fœdere verba dedit .  
 Diffugunt Furiæ , lethæaque flumina præter  
 It furor , & victus Tartara nigra subit .  
 Quæque diu nostrum Vindicta coercuit orbem ,  
 Exulat , & stygiis improba latrat aquis .  
 Ecce serenatas curru victore per auras  
 Candida Pax niyeis lora ministrat equis .  
 Sancta Fides circum , & volucrum sonat agmen Amorum ,  
 Et manibus nexus implicuere manus .  
 O ita ! bella Deus victor procul orbe releget ,  
 Damnaque quæ partu bella nocente ferunt .  
 Cocyti fremat atra domus , manesque scelestos  
 Dividat , & discors , quò volet , ira ferat .  
 Nos tamen astriferi referata palatia cæli ,  
 Regnaque diversâ candida parte manent .  
 Divus ubi pharetrâque puer , facibusque volentes  
 Uret , & æternus spicula mittet Amor .  
 Discite venturæ jam nunc submittere paci  
 Pectora : discordes non capit illa domus .  
 At quos bella juvant , & amaræ prælia linguæ ,  
 Accipiet stygiâ Cerberus ultiæ aquâ .  
 Illic perpetuis agitata furoribus , illic  
 Sæviet ad nigros pallida turba lacus .  
 Eligite ; aut pacem hic posito coluisse furore ,  
 Ut pius æterno fœdere duret Amor :  
 Aut Furiis , rixâque brevem male ducere vitam ,  
 Rumpat ut æternus noxia corda Furor .  
 Credite , in oppositas Furor & Concordia sedes  
 Ducunt . Eventus hos feret una dies .

I

Felices !

## 66 R E M E D I U M I R A E

Felices ! quibus æthereas continget in oras

Ire coronatis , post sua fata , comis.

Ventus ad optatos duxit mea lintea portus.

Si merui , remis addite ferta meis.

Votaque sanati medicæ persolvite Musæ :

Hoc pretio versus æstimat illa suos.

Dii faciant , nostris aliquis premat artibus Iram !

Præmia si vates consequar ista , sat est.

## F I N I S .



CEN.

## CENSURA.



Ibellus , cui titulus de Ira libri  
tres , carmine conscriptus , utiliter  
lucem videbit . Utiliter inquam ,  
cum prater metri suavitatem , mores instruat  
ad clementiam , & pacem , animosque à ri-  
xis , & iracundiâ revocet , adhibito pereru-  
dito remedio : quod ut legentibus salutiferum  
sit , faxit pacis & concordiae author Deus .  
Antverpia 30 Sept. 1694 .

ANT. HOEFSLACH ECCL. CATH.

Can. Grad. Libr. Censor.













5040



